6

DISPUTATIO HISTORICO-LITERARIA INAUGURALIS,

DE

BELLO SACRO PHOCENSI.

(6.

DISPUTATIO HISTORICO-LITERARIA INAUGURALIS,

DE

BELLO SACRO PHOCENSI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES CORNELIUS GERHARDUS BOOT,

ARNHEMIA-GELRUS.

AD DIEM IX JUNII MDCCCXXXVI, HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD J. C. CYFVEER
MDCCCXXXVI.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

DISPUTATIO HISTORICA

DE

BELLO SACRO PHOCENSI.

PROOEMIUM.

Indefessi et conjuncti multorum labores multa historiae antiquae capita egregie illustrarunt, et critice huic disciplinae nostra praesertim et superiore aetate adhibita, multas difficultates removit. Multa tamen in hoc genere etiamnunc quaerenda restant, sive quia neminem adhuc invenerunt, qui omnibus subsidiis bene instructus ad ea explicanda accesserit, sive quia fontium penuria aut suspecta fides omnem spem tollit, fore ut umquam plane profligentur. Cujus rei testis nobis sit historia bellorum

sacrorum, quae in Graecia gesta sunt. Quatuor memorantur, quibus hoc nomen inde datum esse suspicor, quod Amphictyonum auctoritate suscepta sint. Nulla quidem Amphictyonum mentio fit in historia secundi belli sacri, quod Olymp. 83. 1. de possessione templi Delphici gestum est, et in quo praecipuae Lacedaemoniorum et Atheniensium partes fuerunt: sed tam pauca de illo bello nobis traduntur, ut hoc silentium opinioni nostrae non adversetur. Licet autem de eo bello Scholiastae ad Arist. Av. v. 557. et ad Thuc. I. 112. vere pronunciaverint, nomen inde desumptum esse *ὅτι περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ ἐγένετο*, idem tamen de relicuis non valet. Quapropter opinionis nostrae praesidium peto ex Etymologo Magno, quum v. *ἱερομνήμονες* doceat, sacra fuisse quaecumque ad Amphictyones pertinerent: *ἱερὰ δὲ εἰσὶ τὰ Ἀμφικτυονικὰ δόγματα, καὶ ἱερὸν τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων.* Sed missa quaestione de nomine ad institutum meum revertor. Belli Crissaei, quod Solonis tempore gestum et Ol. 47. 2. Crissae expugnatione finitum est, historia multis fabulis aucta est. Veterum traditiones satis negligenter collegit Car. Valesius in

commentatione, quae inserta est T. VII. Commentariorum Acad. Inscript. Gallicae; qui quum Strabonem secutus Cyrrham et Crissam duas diversas urbes esse putaret, fictam nobis historiam pro vera supposuit. Cf. Sancto-Crucius, op. mox laud. p. 44 not. et de duplici urbis nomine C. O. Müller. Orchomenus, p. 495. Quum igitur istius belli historia enarratorem exspectet, qui acri judicio parique diligentia valeat, bellum sacrum secundum paucis absolvi debet; quod factum est a Sancto-Crucio ad calcem operis *des Gouvernemens fédératifs*, p. 286 ss., qui Thucydidis I. 112. et Plutarchi vit. Pericl. 21. relationes excussit, et a Clintone F. H. p. 258. not. m., qui grammaticorum testimonia minime negligenda adduxit. — Ordine temporis tertium locum tenet bellum Phocense. Incidit in illud tempus, quum florebant, qui ex Isocratis disciplina prodierant, principes historici, quorum alii ejus historiam majoris ambitus operibus inseruerunt, alii peculiaribus libris illustrandam sibi sumserunt. Illud enim bellum, etsi neque magnis copiis gestum sit, neque ingentibus cladibus ab utraque parte acceptis memorabile, gravissimum tamen erat cum

propter causas, unde ortum habuerit, tum propter exitum Graeciae libertati fatalem. De auctoritate antiquorum, qui vel aequales belli historiam scripto mandarunt, vel posteriores sua ab illis mutuati sunt, infra pluribus erit disserendum: hoc loco id erit cavendum, ne cui videar temere tale mihi disputandi argumentum sumsisse, de quo alii ante me commentationes ediderunt. Nolo molestis illis hominibus accenseri, qui unice argumenti novitate delectantur, et Isocrateum illud mihi in ore est: *οὐκ ἔτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον.* Nam licet permultum abest, ut contendam meo libello totam materiam exhaustam esse, facile tamen obtinebo posse de hac quaestione meliora doceri, quam adhuc factum est. Qui superiore saeculo hanc provinciam suscepit celeberrimi Henrici Valesii filius Carolus, ita eam administravit, ut exspectaveris ab historico belli Crissaei. Binae ejus commentationes, (perperam historiam secundi belli sacri promittentes) commentariis Academiae laudatae T. IX et XII insertae, auctorem arguunt, qui accuratae doctrinae defectum compensare studuerit

oratione non incondita. Sed totus fere pendet a Diodoro: reliquos fontes aut ignoravit, aut iis parcius usus est, quam debuerat. Hunc parum curans, jam plurima argumenti rite tractandi subsidia consulueram, quum ad me delatus est libellus, hoc titulo: ***Der heilige Krieg der Phoker, dargestellt von Dr. K. Wolf, Fulda 1833.*** Cognita mihi vicinorum in historia scribenda diligentia non parum me sollicitum reddidit, ne nunc aut provincia animo occupata mihi deserenda esset, aut quod imprimis turpe videbatur, falx in alienas segetes mittenda. Mox vero intellexi, hunc quidem Valesium diligentia superare, sed ea tamen levius attigisse, quae mihi maximi momenti et accuratiore investigatione dignissima videbantur. Susceptum igitur iter perfeci atque id egi, ut, praemissa disquisitione de scriptoribus belli Phocensis, veras belli causas indagarem, ejusque eventum exponerem: quorum illae nondum satis exploratae videbantur, hic ex Demosthene et Aeschine egregie illustrari poterat. Rerum in ipso bello gestarum narratio, ex uno fere Diodoro petenda, jejunior nonnullis videbitur. Quorum judicio meus calculus accedat:

sed sic peccare malui, quam imitari perversum multorum studium, qui ex historia veritatem tollunt res simplici narratione ad nostram memoriam propagatas verborum lenociniis et copiosa oratione ornando.

Recens a lectione orationum Ctesiphontearum cogitabam quoque de historia belli Amphissaei explicanda, quo Philippi in Graecos dominatio, quae bello Phocensi provocata est et praeparata, stabilita et confirmata fuit. Sed consilium mutavi, postquam vidi omnia fere occupata esse a Winiewskio, in doctissimis Comment. histor. et chronol. ad Demosth. Orat. de Corona, C. 5. p. 206-257.

CAPUT I.

DE SCRIPTORIBUS BELLI PHOCENSIS.

§ 1.

Fontes, unde nostra illorum temporum cognitio petenda est, duplicis sunt generis. Historicorum, quibus plurimum tribueris, scripta interciderunt, quaeque apud Diodorum Siculum Bibl. Hist. XVI, Justinum Hist. Phil. VIII. et Pausaniam in Phocicis ex antiquioribus illis deprompta inveniuntur, ejusmodi sunt, ut ingens damnum intelligatur magis, quam resarciatur. His tamen ducibus plurimum erit utendum.

Accedunt alterius generis indicia quae in orationibus Demosthenis et Aeschinis exstant, etiamsi hi noluerunt perpetuam belli historiam componere, et oratoris minor in his esse solet auctoritas, quam rerum scriptoris. Accedunt alia, quae efficiunt, ut eorum testimoniis non nisi summa cautione utendum sit. Quum enim contentio inter eos orta sit ex in-

sperato hujus belli eventu, fieri aliter non potuit, quin in plerisque diversas uterque partes sequeretur, Demosthene excidium Phocensium indeque auctam Philippi et Thebanorum potentiam adversario exprŏbrante, quasi haec omnia ejus fraude essent adducta, Aeschine vero culpam a se amoliente, alias calamitatum causas recensendo. Hinc facile intelligitur, utrumque suae causae servientem falsa interdum pro veris venditare et nunc augendo nunc diminuendo veritatem excedere. Quapropter sic censeo, non temere esse admittenda, quae illi affirmant et quamvis in multis major habetur Demosthenis auctoritas, in aliis tamen potiorem esse adversarii fidem. Hoc meum judicium suo loco exemplis confirmabo: nunc ad historicos redeo.

Primum recensebo auctores deperditos, de quibus sive ex fragmentis sive ex aliorum testimoniis constat, attigisse eos hoc bellum et materiem suppeditasse aliis, qui in eodem argumento postea versati sunt: tum quaedam proferam, quae pertinent ad fidem Diodori et Justini recte aestimandam.

§ 2.

Inter eos historicos, qui tempore hujus belli floruerunt, rerum copia et ingenii praestantia relicuos

longe superant, duo Isocratis discipuli, qui magistri monitu ad historiam scribendam se applicaverunt, *Theopompus Chius* et *Ephorus Cumaeus.* Horum prior, res Philippi Macedonis LVIII libris ita complexus est, ut mythos et origines multarum civitatum repeteret (1), tantumque sibi indulsit in enarranda relicuorum populorum historia, ut titulus operis pro scriptoris consilio angustior videatur (2). Theopompum igitur multum fuisse in enarranda belli Phocensis historia cum per se intelligitur, quoniam Philippus hinc coepit rebus Graecorum se immiscere, tum constat ex paucis fragmentis, quae huc pertinent. Neque tamen assentior Wichersio, quum in commentatione de Theopompi vita et scriptis fragmentorum collectioni praemissa, p. 30. libris XXV-XXX. de hoc bello actum fuisse putet. Nam fragmento, quod excitat Schol. Apoll. Rhod. IV. 973, nihil probatur et relicua decem fragmenta, quae ex Libro XXV. collegit Wichersius p. 94 sq. nihil afferunt, quo haec suspicio confirmetur. Sed erroris causa fuit testimonium Schol. Arist. Av. 557, ubi de

(1) Strabo I. p. 43. narrat Theopompum professum esse, se melius *μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις* enarrasse, quam alios: quae verba Casaubonus male ita cecipit ac si gloriatus sit Theopompus, posse se mentiri egregie. Athenaeus III. p. 85 A. scriptoris fidem vehementer commendat.

(2) Vid. Dion. Halic. Epist. ad Cn. Pompejum T. II. p. 131 sq. Sylb.

bello sacro scripsisse dicuntur Thucydides et Eratosthenes Libro IX et Theopompus *ἐν τῷ κέ*. Quae ad bellum sacrum Ol. 83. 1. gestum pertinere tum ex longiore Scholiastae disputatione, tum ex addita Thucydidis mentione, abunde patet. Ne sequentem quidem librum ad bellum Phocense retulerim, cum, quod ex fragmentis apud Athenaeum VI. p. 260 B., X. p. 435 B. divinare liceat, expeditio Thessalica adversus Pherarum tyrannos Libri XXVI argumentum fuisse videatur. Illam temporum ratione proxime excepit bellum Phocense, cujus narrationi si quis quatuor libros adsignet, non repugno. Nam de Libro XXX non dubitatur: et quum libri tres praecedentes nusquam memorentur, ejus silentii illa probabilis ratio redditur, quod ab argumento praecipuo proprius illis titulus *περὶ τῶν ἐκ Δελφῶν συληθέντων χρημάτων* adhaesit (1). Moris enim erat apud veteres majoris alicujus operis partes peculiari titulo laudare, unde aliquando fit, ut plures libri certo auctori tribuantur, quam scripserit. Optime hac de re disputavit Naekius in Museo Rhenano I. 1. p. 40-59, acute conjiciens librum Dicaearchi *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* partem fuisse majoris operis,

(1) Vid. Pflugk, de Theop. vita et scriptis, p. 41. Wichers p. 30 et 97 sq.

βίος Ἑλλάδος inscripti. Addo aliud exemplum, quod imprimis huc pertinet, Alexandridis Delphi, cujus librum περὶ τῶν συληθέντων ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων ad ampliorem Delphorum historiam pertinuisse, suspicatus est Hemsterhusius in praeclara adnot. ad Schol. Arist. Plut. v. 926.

§ 3.

Ephorus ex eadem, qua Theopompus, Isocratis disciplina profectus, sed ingenio multum diverso praeditus, in historia magnam auctoritatem adeptus est et provinciam, a magistro sibi commissam, summis laudibus obtinuit. Hic historiam Graecam ab antiquissimis inde temporibus ad Perinthi obsidionem Ol. 110. 1. libris XXX. complexus est. Diod. Sic. XVI. 76. Deduxit igitur opus suum ad pacem Athenienses inter et Philippum dissolutam (1), et sex annos ultra finem belli sacri progressus est. Ipse tamen hoc bellum non enarravit, sed ejus filius *Demophilus* omissam a patre belli sacri historiam inde ab Ol. 105. 4. repetiit, sicuti auctor nobis est Diodorus XVI. 14. De cujus fide eo minus dubitare licet, quod et ab Athenaeo VI. p. 232

(1) Philochorus ap. Dion. Hal. II. p. 123 extr.

E. et a Schol. Victor. ad Hom. Iliad. XIII. 301. confirmatur. Quorum testimonia ita diserta sunt, ut non opus sit profligare Jonsii (1) errorem, quum dicat „historiam belli sacri a patre et filio simul descriptam utrique non immerito tribui." Illud ambiguum manet, utrum Demophilus novo opere historiam belli absolverit, an vero sua paternis addiderit. Prius visum est Heynio (2): hoc defendit Marxius (3), quem sequi malim, quamquam non satis assequor, quae causae ex illorum temporum rerumque publicarum rationibus profectae permovere Ephorum potuerint, quominus ipse hanc particulam absolveret. Mihi difficultas alio modo tollenda videtur. Nimirum Ephorus, quem in Libro XXV pugnam Mantineensem, Ol. 101. 3. commissam, enarrasse novimus ex Diog. Laert. II. p. 54. eodem libro facile complexus est res insequentis quinquennii, ad Graeciae historiam tricesimo libro rediturus. Interjectis libris pro more suo τὰς πράξεις κατὰ γένος disponendi singulosque libros secundum populorum historias conscribendi (4), egisse videtur de rebus Aegyptiis, Thracicis, Siculis et

(1) De scriptt. hist. philos. I. 9. 2.
(2) In Comm. III. de font. et auctor. Diod. Sic. p. 109.
(3) Ephori fragm. p. 30.
(4) Diod. Sic. V. 1.

Italicis, siquidem ex exiguis fragmentis de universi alicujus libri argumento conjecturam facere liceat. Tum morte occupatus ultimum librum operi suo addere ipse non potuit, sed telam pertexendam reliquit filio, qui opus paternum ad Perinthi obsidionem continuavit; unde factum est, ut hic liber a multis ad Ephorum referretur ejusque nomine citaretur, ut ab Anonymo interpr. ad Ethica Aristot. Nicom. III. 8. et Steph. Byz. v. *Μελιταία*. Quae si non temere a me sunt prolata, statuendum est Diodorum quoque XV. 76. Ephorum nominasse, ubi proprie Demophilus erat citandus. Quis enim crediderit, Ephorum belli sacri historiam omisisse, sed enarravisse ea, quae gesta sunt sexennio, quod bellum illud proxime excepit, praevidentem scilicet fore ut illa lacuna ab aliis expleretur?

Quamquam non dubito, quin horum duumvirorum vestigiis plerumque institerunt Justinus et Diodorus, operae tamen pretium erit reliquos quoque recensere, qui bellum Phocense scriptis suis celebrarunt.

§ 4.

Callisthenem Olynthium, qui historiam belli sacri Crissaei scripsit (1), et Hellenicis suis inclusit

(1) Athen. XIII. p. 560 C.

res gestas triginta annorum, qui inter pacem Antalcideam et bellum Phocense fuerunt (1), Callisthenem igitur excepit ***Diyllus Atheniensis***, qui opus suum a prima templi vel occupatione vel direptione auspicatus est, inque duas partes divisit, quarum altera in eodem argumento versabatur, ac Demophili supplementum, altera ea continebat, quae ab obsidione Perinthi usque ad Philippi obitum per orbem terrarum gesta sunt (2). Merito tamen dubitaveris, an historiam ad ultimos Agathoclis Siculi annos produxerit, sicuti conjecit Wesselingius ad Diod. Sic. XVI. 14, probante Clintone in F. H. ad annum 298. Rationes certe, unde illud conficitur, parum firmae videntur. Apud Athenaeum XIII. p. 593 F. narratur quidem aliquid de Demetrii Phalerei amoribus ex Diyllo, sed quum eadem ex Didymi Symposiacis repetuntur apud Diog. Laert. V. p. 132 E. hujus nomen in Athenaei loco reponendum videtur. Nec multum tribuerim altero Wesselingii argumento, inde petito, quod Diylli iterum mentio fit in fragm. Diod. Sic. XXI. 5. Ipse enim numerus librorum indicio est, opus quod illo loco laudatur non diversum esse ab illo opere, cujus antea meminerat Diodorus.

---

(1) Diod. Sic. XIV. 117. XVI. 14.
(2) Vid. Diod. Sic. ll. laud., add. XVI. 76.

§ 5.

Cephisodorus in duodecimo libro de bello sacro citatur ab interpr. ad Aristot. Eth. Nicom. III. 8. Fuit hic Atheniensis, Isocratis discipulus et magistri adversus Aristotelem apologeta (1), ut probabiliter conjecit Rhunkenius, in Hist. Crit. orat. Gr. p. 82. Opus de bello sacro ab uno Aristotelis interprete excitatur. Relicua, quae de auctore traduntur, accurate collegit Jonsius, op. l. I. 13. 1.

Ex eodem testimonio discimus *Anaximenem Lampsacenum*, Alexandri Magni magistrum ac comitem (2) *ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν περὶ Φίλιππον* de bello Phocensi egisse. De cujus scriptis quaedam disputabo adversus Sancto-Crucium, qui op. l. p. 63 de fide interpretis Aristotelii dubitat. Tractavit hic, quem male Diogenes Laertius II. p. 33 C. a rhetore diversum statuit, sicut primus docuit Maussacus ad Harpocr. v. *Ἀμφικτύονες*, quem secuti sunt Wesselingius, Rhunkenius et Wyttenbachius, locis a Clintone p. 377 l. citatis, tractavit igitur praeter rhetorica, quibus maxime inclaruit (3), multa argumenti historici. Praecipua enumerat Pausan. VI.

(1) Dion. Hal. ep. ad Ammaeum, p. 102 m.
(2) Suidas in v., cf. Diog. Laert. V. p. 116 D.
(3) Cf. Westermann, Gesch. der Gr. Beredtsamkeit § 69.

18. 2. *τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα, καὶ ὅσα Φίλιππος ὁ Ἀμύντου καὶ ὕστερον Ἀλέξανδρος εἰργάσαντο.* His addo *Βασιλέων μεταλλαγὰς* sive exempla fortunae commutatae in regibus conspicuae (1), et *Τρικάρανον*, quem librum edidit sub Theopompi nomine, ut odium Graecorum in hunc excitaret. Atque facile digressionis veniam impetrabo, si praeclarum Aristidis testimonium indicavero, quo confirmantur ea, quae de Tricipitino scripserunt Pflugk, op. l. p. 44-47, et Wichers. p. 34 sq. Laudat Arist. in laudatione urbis Romae T. I. p. 211. Jebb. *τὸν θαυμαστὸν ἐκεῖνον τὸν Τρικάρανον ποιήσαντα*, prudenter omisso scriptoris nomine, et summam libri ita proponit, ut jam dubitari non possit, quin tres urbes notatae Athenae, Sparta et Thebae fuerint (2).

Sed, ut ad Pausaniae verba redeamus, illius operis, quod *ἡ πρώτη τῶν Ἑλληνικῶν* sive *αἱ πρῶται ἱστορίαι* inscriptum erat, argumentum et ambitum descripsit Diod. Sic. XV. 89, ex eoque veram nominis Amphictyonum originem repetit Harpocration et nonnulla de Eriphyles monili aurique olim inter Graecos raritate Athenaeus VI. 231 C, quod idcirco

(1) Athen. XII. p. 531 D.
(2) Cf. Pausan. VI. 18. 3.

monendum est, ne haec ad belli Phocensis historiam pertinuisse putemus. Historiam Graecam ad Epaminondae mortem perductam continuavit historiis Philippicis, uberiore stylo, ut videtur, conscriptis. Nam quum omnem praeteriti temporis memoriam XII libris incluserat, Philippicarum liber octavus ab Harpocr. v. *Καβύλη* citatur, unde hoc etiam efficio, eum Philippi partes in bello Phocensi copiose explicuisse. Nec est, quod dubitemus Philippi indolem longe aliter ab eo expressam fuisse, quam a Theopompo factum est, quoniam ille in aula Macedonis versatus et filii educationi praefectus, hujus vel reprehensiones vel calumnias probare vix potuerit. Tertium denique opus, quo Anaximenes res gestas Alexandri celebravit, adeo a veteribus negligitur, ut praeter nomen vix quicquam ex eo ad nos pervenerit. Id unum affirmare licet, auctorem nimium quantum sibi placuisse in concionibus rhetorum more ornandis, quod ipsi et relicuis Isocratis discipulis objicitur (1).

§ 6.

Leontem Byzantium, Platonis ut videtur auditorem, scripsisse hujus temporis historiam ex Suida

(1) Vid. Plut. Praec. Polit. p. 803 B. cf. Harpocr. v. *Ἀλκίμαχος*.

novimus. Sed liber praeter titulum plane ignoratur. De scriptore nonnulla collegit Clinton. F. H. p. 376 i. Difficile dictu est, utrum Philostratus de Vit. Soph. II. 1. et Plut. Praec. Polit. p. 804 A. recte hunc citent, an vero illud dictum cum Athenaeo XII. p. 550 F. Pythoni ejus civi tribuendum sit. Posterius tamen magis placet, propterea quod Dem. p. Cor. p. 272 R. locuples auctor est, Pythonem Byzantium Athenas legationem obiisse, et audacia ac linguae licentia excelluisse.

His omnibus, qui aut ipsis belli temporibus aut brevi post floruerunt, ultimo loco adjungendus est *Duris Samius*. Non quidem hic peculiare opus de belli historia condidit, sed ex secundo Historiarum libro fragmentum apud Athenaeum XIII. p. 560. B. servatur, quod infra a nobis erit excitandum. Plura de ejus scriptis dicerem, nisi nuper Car. Sintenis ad Plut. Pericl. p. 194 sqq. utilia in hanc rem monuisset.

§ 7.

Nunc paucis aperiam meam de Diodori et Justini narrationibus sententiam. Eas qui comparaverit, hoc statim mihi concedet, longe diversum existere utriusque judicium de belli causis et Phocensium

culpa: quod ipsum non magis illorum proprium est, quam auctoribus, quos sequuntur, debetur. Novimus autem Trogum Pompejum a Theopompo et genus scribendi et ipsum operis nomen, denique narrationis argumenta mutua sumsisse. Apparet quidem ex prologo libri octavi illum ibi easdem res exposuisse, quae libro tricesimo historiarum Ephori continebantur, sed tamen sua potius ex Theopompo desumpsit, sicuti rationibus non contemnendis probatum ivit Heerenius, de font. Tr. Pomp. III. § 13. Ea igitur, quae apud Justinum Trogi epitomatorem L. VIII. leguntur, summa referunt Theopompeae narrationis capita, etiamsi iniquum sit turbas in temporum ordine constituendo rebusque describendis a Justino excitatas ad Graecum auctorem referre. Detecto fonte, unde sua hic hauserit, de fundo narrationis Diodori vix ulla contentio esse potest. Plures hic consuluit scriptores, sed in magna operis parte imprimis Ephori vestigiis institisse videtur, atque in universum magis industria sua, quam judicio commendatur, longe inferior egregia exspectatione, quam ipse in operis exordio movit. Nolo quicquam mali ominis proferre in eum scriptorem, qui nobis praecipuus dux erit; sed ei, qui tantum opus aggreditur, condonari non possunt ingens ἀκρισία et in rebus enarrandis confusio, quibus

Diodorum laborare omnes agnoscunt. Confusionis exempla ubique fere obvia, hic quoque non desunt et suo loco notabuntur. De critices defectu provoco ad Sancto-Crucium, *Examen crit. des hist. d'Alex.* p. 70. edit. sec., quum dicat: »Il paroit rarement avoir discutés les témoignages divers ou opposés qu'il avoit sous les yeux; il adoptoit le récit qui, au premier coup d'oeil, offroit le plus de vraisemblance."

§ 8.

Arduam rem esse deperditorum historicorum verba vel sententiam ex aliorum scriptis eruere, lubens fateor; sed tamen huic disquisitioni finem non imponam, priusquam conjecturam proposuerim, ad quam me duxit Strabo. Laudat hic IX. p. 422. Ephori diligentiam in Phocidis et templi Delphici descriptione, sed simul eum reprehendit, quod, quum fabulas a se contemni veritatemque ubique indagari gloriatus esset, imprimis ubi de certissimo oraculo ei dicendum erat, quod igitur tum promissis suis parum satisfecerit, fabulasque de oraculi auctore non paucas retulerit, in quas Strabo l. l. inquirit. Ex illis igitur verbis suspicio mihi oborta est, an forte ea, quae apud Diodorum XVI. 26.

de oraculi fatis traduntur, ex Ephoro descripta aut saltem ad ejus ductum enarrata sint: quae suspicio si cui videatur superstructa fundamento non satis firmo, ille suo judicio utatur, nobis innoxiam divinandi voluptatem ne eripiat.

CAPUT II.

DE BELLI CAUSIS.

§ 1.

Ipsi veteres varias afferunt causas istius incendii, quod parvis initiis ortum sensim latius serpsit, magnamque Graeciae partem ita vexavit, ut externo auxilio ad illud restinguendum opus fuerit. Non tamen omnibus eadem fides est habenda, quum pro ingeniorum diversitate alii aliunde insequentium malorum causas repetant, proximas cum remotioribus, speciosas cum veris confundentes, neglecto praeclaro exemplo, quod in simili quaestione illis dederat Thucydides. Antequam autem diversas traditiones de belli causis próferam, laudanda est prudens distinctio inter causam belli (*αἰτίαν*), praetextum (*πρόφασιν*) et principium (*ἀρχήν*), quam diserte commendat Polybius (1), et egregie illustrat exemplo bellorum,

(1) Hist. III. 6 sq.

quae Graeci cum Medis, Romani cum Antiocho gesserunt. Ad quam normam si exiguntur ea, quae de hujus belli origine tradita sunt, apparebit ea, quae pro causis belli habentur, non nisi praetextus fuisse et ne de his quidem omnibus eodem modo esse judicandum.

§ 2.

Primum memoro Duridis Samii commentum, qui bellum exarsisse narrat propterea, quod Phocensis quidam rapuerit Theano, Thebani uxorem. Non dubito, quin Duris, quem hominem in historia diligentem vocat Cicero (1), hanc narratiunculam aliis demum causis adjecerit, quas praetermisit Athenaeus, cujus consilio sufficiebat, hanc unam commemorare. Parum tamen abest, quin hanc historiam fabulis accenseam, etiamsi me non fugit, e parvis saepe rebus maximas calamitates ortas esse, et privatas offensiones publicis motibus ansam dedisse. In eam me suspicionem adducit cum exigua Duridis in talibus auctoritas, qui non solum in rebus patriae suae enarrandis, sed etiam ubi nulla peculiaris vel irae vel studii causa aderat, multa

(1) Epist. ad Att. VI. 1.

praeter veritatem affirmare solebat, teste Plutarcho in Pericle c. 28, tum narratio ipsa parum accurate instituta, in qua nomina aggressoris et laesi desiderantur. Et si quis rogat, quae igitur fuerit fingendi causa, in promptu est responsio. Cogitabat nimirum scriptor historiam belli Trojani similiter per decem annos gesti ob raptam Helenam: e Callisthene didicerat geminam plane causam belli sacri Crissaei, quod totidem annos duravit, et ortum fertur non solum ob violatum terrae sacrae tractum, sed ob raptam Megisto Pelagontis Phocensis filiam: — haec cogitans et alia ejusmodi, quae incertum quibus auctoribus Aristoteles (1), et Plutarchus (2), collegerunt, facile sibi persuasit similem exstitisse belli Phocensis causam, et narratiunculam de Theanûs raptu ex fama quadam arripuit aut ex suo ingenio deprompsit.

§ 3.

Non multo majoris facio narrationem apud Aristotelem Polit. V. 3. 4. ubi belli sacri initium repetitur a dissensione, ob virginem dotatam (ἐπίκληρον)

(1) Politic. V. 3.
(2) Praec. Polit. p. 825.

agitata inter Mnaseam Mnasonis patrem et Euthycratem Onomarchi. Videtur quidem Aristotelis testimonio magnam pondus inde accedere, quod Mnason ille, vir inter Phocenses opibus excellens (1), inter Stagiritae amicos et discipulos numeratur (2), a quo sua acceperit Aristoteles. Sed prudenter monet Polybius III. 9, non quicquid ab illo dicitur, qui ipse rebus interfuit, protinus esse arripiendum ut certum et fide dignum, et negari non potest, innumera irrepsisse in historiam mendacia ex testium perfidia et scriptorum credulitate. Nec temere dubito de fide hujus traditionis. Nam quum discidium inter duos Phocenses non aliter bello ansam dare potuerit, quam si altera pars externum auxilium invocaverit, ea res non neglecta fuisset ab aliis historicis.

Dubitationem augent ipsa personarum nomina. Illud levius est, quod eodem tempore Euthycrates quidam Olynthiorum, Mnaseas Argivorum proditores memorantur (3): alia insunt, quibus magis offendor. Aristotelis verba ... *στάσεως γενομένης περὶ Μνασέαν τὸν Μνήσωνος πατέρα καὶ Εὐθύκρατη τὸν Ὀνομάρχου...* incertum reddunt, utrum ad haec ultima e supe-

(1) Ejus testimonio utitur Aesch. de F. L. p. 47. 7.
(2) Athen. VI. p. 264 D. Aelian. V. H. III. 19.
(3) Dem. de Cherson. p. 99. p. Cor. p. 324.

rioribus *πατέρα* repetendum sit, an *υἱὸν* supplendum. Si prius probatur, de Onomarchi patre dissentit Pausanias X. 2. 1. quum Philomeli, qui Onomarchum et Phayllum fratres habuit, patrem Theotimum nominat: nec multum proficimus, Euthycratem Onomarchi filium faciendo, quoniam is Onomarchus tum avus intelligitur ejus, qui hoc bello imperator Phocensium fuit, nec removetur difficultas, quae in patris nomine inest. Praeterea, si inter duas illas familias tantum discidium fuit, mirum est, omnia ejus vestigia brevi sic obliterata esse, ut Phayllus moriens impuberi Phalaeco tutorem dederit Mnaseam (1).

§ 4.

Longior fui in examinandis Duridis et Aristotelis commentis, eoque hoc saltem me obtinuisse spero, ut venia mihi concedatur minimam auctoritatem illis tribuenti. Fuerint talia praetextus belli; leviora sunt, quam ut causae belli habeantur.

Tanquam proxima causa vero, quae Phocenses provocavit ad templum vi occupandum, celebratur poena iis ab Amphictyonico concilio imposita. Illis

(1) Diod. Sic. XVI. 38.

crimini datum, quod agrum Crissaeum, Deo consecratum et humanis usibus in perpetuum exemptum excoluissent (1), aut secundum alios (2) quod Boeotiam depopulati essent. Illud imprimis delictum gravissimum erat. Quum enim Ol. 47. 3. bello Crissaeo finis esset impositus, Amphictyones oraculi jussu agrum devictum Deo consecraverunt, et jurejurando se obstrinxerunt, ut neque ipsi terram sacram colerent umquam, neque ab aliis eam coli paterentur, sed Deo omnibus viribus vindicarent, additis dirissimis exsecrationibus in eos, si qui immane nefas committerent (3). Neque temporis tractu illius decreti vim periisse, apparet ex inscriptione anni Ol. 100. primi, Archonte Pythea, quae legitur apud Boeckh. Corp. Inscript. Graec. I. p. 804 seqq. Illud monumentum dubitare nos non sinit, quin decretum saepius repetitum et sensim mitigatum sit. Huc pertinet, quod Hieromnenonibus mandatur, ut quavis pentaëteride ipsi videant, ne termini terrae sacrae moti sint; quod mulcta certa in civitates delinquentes constituitur, Hieromnemonum periculo exigenda; denique quod civitas, quae

(1) Diod. XVI. 23. Paus. X. 15. 1.
(2) Justin. VIII. 1.
(3) Aesch. in Ctes. p. 69.

violatae religionis condemnata non solvit, templo arcetur et conjunctis Amphictyonum copiis est petenda. Multo levius erat alterum crimen, cujus meminit Justinus. Pertinebat tamen ad ea, de quibus cognoscerent Amphictyones, sicuti apparet ex postrema ejusdem inscriptionis parte, qua ii quoque templo excluduntur, qui foedera violassent. Quae quum ita sint, suspicor Phocenses apud Amphictyones utriusque criminis delatos fuisse; quo judicio ad magnam pecuniae summam condemnati sunt. Fueritne accusatio satis justa, et condemnatio non ex odio, sed ex aequitate profecta, quaestio est, quam facilius proposueris, quam solveris. Diodorus, veritus scilicet ne piaculum committeret, dubitando de aequitate decreti Amphictyonici et causam sacrilegorum agendo, talia non curat. Iniquitatis suspicionem movent Pausanias et Justinus, cujus ideo potior fides videtur, quod vehementer improbat ea, quae postea a Phocensibus contra jus et fas perpetrata sunt. Pausanias l. l. caute pronunciat, sibi non liquere, utrum mulcta Phocensibus irrogata sit ob delictum, an vero accusatio orta sit ex veteri Thessalorum in Phocenses odio. Justini verba ipsa afferam, quoniam vix dubito, quin illis contineatur Theopompi hac de re judicium. Sic igitur ille: »*Causa et origo hujus mali Thebani*

fuere: qui cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis — Phocenses, quasi parva supplicia caedibus et rapinis luissent, apud commune Graeciae concilium superbe accusaverunt..... (crimini datum) Phocensibus, quod Boeotiam depopulati essent: prorsus quasi post arma et bellum locum legibus reliquissent. Cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset. Igitur Phocenses, quum agris, liberis conjugibusque privarentur, desperatis rebus, — templum ipsum Apollinis Delphis occupavere. — Factum Phocensium, tametsi omnes exsecrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit."

§ 5.

Confirmatur illud Justini testimonium ipsa illorum temporum historia et Demosthenis auctoritate, cui in his rebus, quae ante belli finem acciderunt, plurimum tribuo, quoniam tunc nondum ad rem publicam accesserat (1). Infinitum sit omnia exempla

(1) P. Cor. p. 230.

congerere, quibus Thebanorum insolentia et mala cupiditas ea tempestate omnibus perspecta fuit. Sed quum inter omnes constet, tantos eos spiritus post victoriam Leuctricam cepisse, ut universam Graeciam suae dominationi subjicere voluerint, facile intelligitur Justini verbis veram belli causam explicari. Magis etiam illud elucebit, quando causae mihi erunt expromendae, cur Athenienses et Lacedaemonii Phocensium partes secuti sint; ad quam disquisitionem jam nunc accederem, nisi prius satisfaciendum esset alii quaestioni de causis, quae Thebanos impulerint, ut Phocenses potissimum opprimerent. Responsum peto partim ex iis, quae paulo ante gesta sunt, partim ex ipsa concilii Amphictyonici conditione. In bello Boeotico, quod inde ab Ol. 100. 3. Thebanos inter et Lacedaemonios gestum est, his auxilia dederunt Phocenses (1), eorumque rursus copiis adversus vicinae gentis potentiam confirmati sunt (2). Merito etiam Phocenses inter illos Lacedaemoniorum socios referes, qui Ol. 102. 2. ineunte, Thebas a sociis desertas et vehementer afflictas evertere cupierint (3); quum ip-

(1) Diod. XV. 31.
(2) Xenoph. Hell. VI. 1. 1, 2. 1.
(3) Diod. XV. 51.

sorum plurimum interesset caput totius Boeotiae perdere. Spes autem illa plane evanuit post cladem Leuctricam, et victricis gentis iram jam tum sensissent, nisi prudenti Epaminondas consilio victos in amicitiam recipere, quam ulcisci maluisset (1). In expeditionibus sequentium annorum inviti victoris signa secuti sunt (2), cui ut primum occasio ipsis oblata est, auxilia denegarunt (3). Nova haec offensio Thebanorum odium in vicinam gentem magis accendisse videtur, qui quo facilius eam opprimerent, omnique se facti invidia liberarent, non privatae injuriae, sed religionis et juris publici vindices videri volebant. Eo consilio curarunt, ut Phocenses penes conventum Amphictyonum accusarentur, tamquam juris divini et humani violatores. Intelligebant enim, se facillime quod valebant consecuturos esse, in eo concilio, ubi omnia ex eorum et Thesalorum arbitrio pendebant. Erant autem Thessali veteri odio in Phocenses incensi (4), et multa suffragia in sua potestate habebant. Magnetes, Perrhaebi et Achaei

(1) Ibid. 57.
(2) Xenoph. Hell. VI. 5. 23. Diod. XV. 62.
(3) Xen. Hell. VII. 5. 4.
(4) Paus. X. 2. 1. Aesch. de F. L. p. 46. 36. cf. Herod. VIII. 27 seqq.

Phthiotae jam tempore belli Peloponnesii Thessalorum imperio parebant (1): reliquae gentes ejus regionis, Oetaei, Melii et Dolopes, etiamsi fortasse nomine *αὐτονομίαν* suam retinuissent, tuto tamen Thessalorum votis resistere non poterant. Magnam igitur veri speciem habet, quod narrat Pausanias, accusationem a Thessalis fuisse institutam, idque eo etiam confirmatur, quod soli Thessali, non Thebani aut Locri, florentibus Phocensium rebus, dignitate Amphictyonica privati sunt, quam per Philippum recuperare studuerunt (2). Supra vidimus, quae Phocensibus objecta sint: hoc loco cavendum, ne nimium tribuatur Justini verbis, quum dicat *judicium arbitrio victorum fuisse habitum.* Illorum sententia haec est, culpae aestimationem pro delicti magnitudine nimiam fuisse, qua de re queritur Philomelus ap. Diod. XVI. 23. Neque his verbis, neque ullo alio loco dubitatio movetur, de ipsorum criminum veritate. Quapropter sic censeo, Phocenses fuisse culpae obnoxios, sed debuisse excusari quodammodo ex temporum conditione. Quum enim superiore bello Ol. 101. 2. (3), Cleombrotus Spar-

---

(1) Thucyd. II. 101. IV. 78. VIII. 3. cf. Aristot. Polit. II. 6. p. 53. Göttling.

(2) Dem. de Pace p. 62. de F. L. p. 443, Phil. II. p. 71.

(3) Xenoph. Hell. VI 1.

tanus cum valido exercitu in Phocide subsistebat, et regio aspera ad victum ingentibus copiis suppeditandum non sufficiebat, inopia eos coegisse videtur, qui agrum Cirrhaeum fertilissimum contrectarent. Alterum quoque crimen in idem tempus optime convenit, quum Boeotia Phocensium incursionibus pateret, sicuti significavit Justinus, Thebanos reprehendens, qui post arma et bellum legum auxilio finitimam gentem opprimere studuerint.

§ 6.

Exponam nunc rationes, quae impulerint Athenienses et Lacedaemonios, ut belli societatem cum Phocensibus inirent. Sancto-Crucius p. 64. s. belli originem repetit ab aere alieno, quo tunc temporis laborabant illae civitates, et cui quovis modo mederi volebant. »L'une et l'autre, épuisées par de longues guerres et ayant un pressant besoin d'argent, comptoient rétablir leurs finances par ce qui leur reviendrait des richesses immenses du temple de Delphes... Plus on réfléchit sur les détails que Diodore de Sicile et Pausanias rapportent sur cette guerre, sur tout ce qu'en disent Aeschine et Démosthène dans leurs harangues; plus on se convaincra que la véritable cause en fut l'espèce d'insolvabilité, dans laquelle se trouvaient alors Sparte et Athènes.

Elles voulaient laisser commettre le crime par un autre, afin d'en profiter elles-mêmes avec moins de scandale ou plus de sûreté."

Vereor, ut hoc viri acutissimi judicium probari possit, etiamsi non negaverim partem divitiarum, quae tractu temporis e templo surreptae sunt, ad Athenienses quoque et Lacedaemonios pervenisse. Me judice invidia belli conflati a Thebanis removeri nequit, iidemque imprudentia sua Lacedaemonios ad belli societatem cum Phocensibus jungendam tantum non coegerunt. Eum in finem et hi et imprimis Athenienses bellum adduxisse censendi sunt, quod salutis suae rationes eos juberent Thebanis adversari. Quae experti sint superiore bello Lacedaemonii, victorum libidini expositi, omitto ut notissima; sed, quae res odium Atheniensium in Thebanos potissimum excitaverint, paucis declarabo. Earum aliae solos Athenienses spectabant, aliae iis cum omnibus Graecis communes erant. Ad illas refero crudelem sententiam de Athenis delendis, incolisque urbis in servitutem abducendis, cujus quondam in sociorum conventu auctores fuerant Thebani (1), atque superbas Epaminondae minas, qui

(1) Vid. Demosth. de F. L. p. 361. et vidd. loci, quos citat Wessel. ad Diod. XV. 63.

in concione popularium suorum aliquando dixisse fertur, propylaea ex acropoli in porticum arcis Thebanae esse transferenda (1). Atque talibus dictis facta responderunt. Praeclari scilicet erant juris publici vindices, qui Oropum, quod oppidum Atheniensibus se dediderat (2), sed a Temisone Eretriensi occupatum erat (3), per viginti annos suis praesidiis tenuerunt. Nam quum Athenienses jure quam armis suam possessionem asserere mallent, oppidum Ol. 103. 3. Thebanorum fidei commiserunt, donec res in sociorum conventu dijudicaretur. Quo facto Thebani illud Atheniensibus reddere recusarunt (4), tantum potentiae suae fidentes, cui soli Athenienses resistere non poterant. Neque tamen hi Oropi recuperandae spem abjecerunt, et Ol. 106. 4. Lacedaemoniorum auxiliis adjuti rem ferro repetivissent, nisi inita consilia impedivisset bellum Megalopolitanum (5). Privata haec injuria nomen Thebanorum Athenis invisum reddidit; qui per totam Graeciam male audiebant propter insignem in reliquos Boeotos saevitiam. Thespiae et Plataeae Ol.

(1) Aesch de F. L. 42 iii.
(2) Isocr. Plataic. p. 300 C.
(3) Diod. XV. 76.
(4) Xen. Hell. VII. 4.
(5) Demosth. p. Megal. p. 204 et 206.

101. 3. (1) ab illis eversae, earumque incolae, nulla habita *συγγενείας* ratione, in servitutem redacti, suo exemplo relicuos Graecos docebant, quae illos sors maneret, nisi Thebanorum vires frangerentur. Grata proinde Atheniensibus quaevis occasio nocendi Thebanis esse debebat. Hinc Ol. 105. 3. seditione orta in Euboea, Thebanis alteri parti opem ferentibus Athenienses restiterunt, et intra paucos dies eorum copias insula excedere coegerunt (2). Ad sequentem annum initia belli sacri referuntur, ad quod quum singulae gentes Amphictyonicae copias suas mittere debebant, Athenienses tamen prompti fuerunt ad auxilia Phocensibus promittenda. Cujus rei causam nemo in eo quaesiverit, quod more majorum *τοὺς ἀδικουμένους σώζειν* cuperent (3), quum potius dicendum sit, Athenienses Phocenses salvos esse voluisse ex odio Thebanorum, etiamsi intelligerent eos male egisse (4), et quoniam tum demum adversus Thebanorum vires tuti erant et securi, quum illorum vires finitimo bello exercerentur (5).

(1) Vid. adnot. Krügeri ad Clintonem F. H. ad a. 374. a. C.
(2) Aesch. in Ctes. p. 65 extr. Dem. in Androt. p. 597. in Mid. p. 570, ubi expeditio illa adversus Thebanos suscepta dicitur.
(3) Dem. p. Megalop. p. 205.
(4) Id. p. Cor. 231.
(5) Id. in Aristocr. p. 654. de F. L. p. 364.

§ 7.

Lacedaemonii eodem, quo Phocenses judicio ad grandem pecuniam condemnati, pudore quodam impediti, quominus apertum bellum adversus Amphictyones decernerent, primo clam pecunia bellum aluerunt, mox copias suas rebellium subsidio miserunt. Metuebant enim, ne Thebani re cum Phocensibus composita in Peloponnesum redirent, et gravioribus etiam, quam quas paulo ante senserant, cladibus eos afficerent (1). Crimen. cujus illi paulo post pugnam Leuctricam (Ol. 102. 2.) (2), condemnati sunt ante aliquot annos commissum erat ab eorum duce Phoebida. Hic enim Ol. 99. 2. media pace occupaverat Cadmeam, Thebarum arcem, eamque diu praesidiis suis obtinuerant Lacedaemonii, dicis causa tantae fraudis machinatorem mulcta punientes. Amphictyones aliquamdiu distulerunt cognoscere de causa, quae vel maxime ad eos pertineret, donec Thebani viribus aucti sibi impunitatem quaesivissent. Enimvero indignum facinus mihi videtur, eos Lacedaemoniorum culpam exagitasse, qui turpissime ipsi violaverant jusjuran-

---

(1) Isocr. Phil. p. 92. 6.
(2) Diod. XVI. 29.

dum Amphictyonicum, cujus primum caput erat *μηδεμίαν πολιν τῶν 'Αμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιῆσαι* (1). Sed praeclarum illud institutum jam tunc amiserat pristinam suam dignitatem auctoritatemque, et prioris potentiae vix umbram retinuerat. — Hinc factum, ut prima condemnatione nihil plane effectum sit, utrisque et Phocensibus et Lacedaemoniis poenas dare recusantibus. Plures annos duravit iste rerum status. Ol. vero 105. 4. novum decretum conditum est, quo Lacedaemoniorum mulcta duplicata et ad M. talenta aucta fuit, Phocensium vero regio Deo consecrata (2), illudque decretum ad omnes civitates Amphictyonicas missum est, quae illud comprobarent, et si opus esset, armis tuerentur. Quae quum ita essent, Lacedaemonios remotissimam Graeciae partem incolentes et gentibus cinctos, quae cum Amphictyonibus nihil commune habebant, armis petere non adeo in promptu erat: Phocensibus vero praesens imminebat periculum, quibus nihil relicuum erat, quam aut se suaque Thebanorum Thessalorumque arbitrio permittere, aut fortunam bello experiri.

(1) Aesch. de F. L. p. 43, 15.
(2) Diod. XVI. 23 et 29.

CAPUT III.

HISTORIA BELLI.

Olymp. 105. 4. — 108. 2.

§ 1.

Secundum illud Amphictyonum decretum Phocenses, qui perniciem sibi imminentem videbant, ingenti terrore replevit. Sed sive in concione universi populi, sive in eo concilio, ad quod singulae urbes delegatos mittere solebant (1), quum quaereretur, quid optimum factu esset, fortia consilia placuerunt. Trepidos civium animos confirmavit Philomelus, vir summae auctoritatis et audacia nemini secundus, qui vehementi oratione poenae iniquitatem exagitavit, et facile obtinuit solam in armis salutem esse positam. Ostendit ille nihil sperandum esse ab adversariorum clementia,

(1) Paus. X. 4. 1.

sed aut ferro meliores conditiones esse petendas, aut durissima quaevis subeunda: hoc turpe esse et ignavum, illud utile ac prope necessarium. Eligerent igitur, utrum mallent adspicere terram suam devastatam, corpora sua suorumque hostium libidini exposita, nomenque Phocicum funditus deletum, an vero armis sibi vindicare praesidium templi Delphici, quod olim apud eos fuerat. Templum enim illud in Phocide situm diuturnis Phocenses inter et Delphos contentionibus ansam praebuit, quum hi illorum nomen exosi (1), a communi foedere Phocico se separare, propriam rempublicam constituere et templo praeesse volebant, illi suum jus in urbem ac templum asserebant. Hinc ortum est Ol. 83. 1. bellum sacrum, cujus is fuit eventus, ut Phocenses per Athenienses restituerentur in templi possessionem, unde eos deturbaverant Lacedaemonii (2). Breve tantum tempus Phocenses templi possessione gavisos fuisse vel inde colligas, quod Diodorus Philomelum non ad recentem memoriam, sed ad vetustum Homeri testimonium provocantem facit, nisi tamen hoc vel ob Homeri auctoritatem in talibus rebus plurimi aestimatam, vel Diodori

(1) Paus. IV. 34. 6.
(2) Plut. Pericl. 21.

incuria factum sit. Quicquid sit, Delphos propriam rem publicam constituisse Lacedaemoniorum opera, tradit Strabo IX. p. 424 extr., idque fortasse in Niciae pace Ol. 89. 3. sancitum. Inter conditiones certe illius pacis est ea, ut templum Apollinis Delphicum et ipsa urbs sui juris esset, nemini tributa penderet, et sua judicia exerceret (1). Mansit postea illa *αὐτονομία* inviolata, nec Phocenses jus suum ulterius sunt persecuti, uti acute ex Xenoph. de Vectig. 5. 9. docuit Boeckhius, Oecon. Polit. Athen. II. 146 sq., ex quo loco idem vir celeb. probabiliter conjecit Thebanos circa Ol. 106. 2. templi occupandi consilia agitasse.

§ 2.

Philomelus auxit praeterea animos suorum spe et exspectatione auxiliorum, quae ipsis bellum moventibus deesse non poterant. Quaecumque enim civitates Thebanorum potentiae invidebant vel invitae oppressis succurrere debebant, metuentes ne illorum vires nova accessione augerentur. Omnes igitur Phocidis urbes (unis Abis exceptis, quae culpae immunes, bello finito duram relicuarum sortem ef-

(1) Thuc. V. 18.

fugerunt (1)), in Philomeli sententiam decernunt, eique summum imperium et potestatem absolutam committunt. Hac instructus nihil prius sibi faciendum duxit, quam aliarum gentium auxilia implorare. Hoc consilio Spartam profectus est, et consilia sua regi Archidamo III aperuit, in quibus erat occupatio templi Delphici. Non improbavit ea Archidamus, et quum nollet se et civitatem, cui patrium erat religionem Pythicam, stirpi Doricae propriam, tueri et ab omni injuria vindicare (2), publicae reprehensioni exponere, promisit se clam Phocenses mercenariis copiis et pecunia adjuturum esse. Supra exposuimus, quibus rationibus Archidamus impulsus sit ad talia promissa: novam eamque minus honestam ex Theopompo desumpsit Paus. III. 10. 4. quasi rex imprimis promptus fuerit ad societatem cum Phocensibus ineundam, motus precibus Dinichae uxoris, quae Philomeli donis corrupta erat. Non abhorret tale quid a moribus Spartanorum, qui dudum virtutes majorum amiserant, et quos ne defendere quidem vellem adversus Messenios, quum dicerent et reges et ephoros et senatum, templo direpto, divitiarum partem tulis-

(1) Paus. X. 3. 2.
(2) Cf. C. O. Muller, die Dorier. II. p. 250.

se (1), sed illud obstat, quod Philomelus nondum templum occupaverat, et ipse xv talenta ad exercitum comparandum ab Archidamo accepisse traditur. Postea e divitiis surreptis et hanc summam facile restituerunt Phocensium duces, et aliis donis animos Lacedaemoniorum causae suae propitios reddiderunt.

Philomelus in patriam redux, pecuniam ab Archidamo acceptam altero tanto auxit, militum manum conduxit, et cum mille armatis Delphos subito occupavit, temploque potitus est, caesis Thracidibus (2), qui frustra aggressores repellere conati erant. Theopompus apud Paus. l. l. narrat Phocenses voluisse interficere Delphos adultos, abducere mulieres et infantes in servitutem, et urbem funditus evertere, sed mutasse consilium suum, uti innocuis parcerent, deprecante Archidamo.

---

(1) Paus. IV. 5.

(2) *Thracidas*, de quibus aliunde nihil constat, fuisse *Φοίβου Δελφοὶ θέραπες* (Eurip. Jon. 94) conjecit Wessel. ad Diod. XVI. 24. Nomen viro celeb. suspectum nuper vindicavit C. O. Mullerus, Orchomenos p. 380, monens cogitandum esse de posteris eorum Thracum sive Daulum, qui aliquando Boeotiae partem invaserant et ad Delphos usque progressi erant. Plura eorum vestigia in hac regione deprehenduntur, v. c. nomina oppidorum, *Daulis* (cf. Baehr. ad Herod. VIII. 35.) et *Thracis* sive transpositâ adspiratâ *Trachis*, de quo vid. Strabo IX. p. 423 extr. Paus. X. 3. 2. Cf. tamen G. H B. in Götting. Anzeigen m. Febr. 1836. p. 176.

§ 3.

Ab hac templi occupatione repetitur belli initium; quapropter operae pretium duco, hoc loco tempora belli constituere atque periculum facere, an diversae scriptorum relationes in concordiam redigi possint. Spatium decem annorum bello adsignant Aesch. de F. L. 45, 24. in Ctes. 74, 38. Paus. X. 2. 2. et 3. 1., idem IX. 6. 1. Athenaeus XIII. p. 560 B. et Diod. Sic. XVI. 59. Hic tamen XIV. 14 undecimo, XVI. 23. nono anno finem bello impositum scribit. Confusio inde orta est, quod auctores, quos sequitur Diodorus, non omnes ab eodem facto bellum exarsisse statuebant, et fluctuabant inter occupationem templi ejusque primam spoliationem. Singula veterum testimonia excutienda sunt, ut omne dubium tollatur. In marmore Pario, cujus in talibus rebus magna censetur auctoritas, v. 87 legitur: *Φωκεῖς τὸ ἐν Δελφοῖς ...... Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδώρου* (Ol. 105. 3). Superiores editores lacunam expleverunt additis *ἱερὸν ἐσύλευσαν*, quod merito displicuit Boeckhio, quoniam ex Diod. XVI. 24 et 30 constat Philomelum initio occupavisse, postea demum (Ol. 106, 3) expilasse templum, Praestat igitur cum Sancto-Crucio op. I. p. 296 et Boeckhio, Corp. Inscr. II. restituere *ἱερὸν κατέλαβον*. Illud facinus

Pausanias X. 2. 2. anno Olympiadis supra centesimam quintae quarto, Agathocle archonte, adscribit, quocum facit Diod. Sic. XVI. 14. Hic tamen gravem in temporibus constituendis levitatem prodit, quum c. 23. bellum sacrum Callistrato achonte Ol. 106, 2. ortum fuisse tradit. Nimirum non distinguit inter *τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν* et *σύλησιν*, sicuti apparet ex c. 14. ubi his vocibus ita utitur, quasi res indicarent uno eodemque tempore gestas. Atque iste error magnam confusionem peperit, nec dubitamus, quin ea quae c. 23-29 narrantur, tanquam Ol. 106, 2. gesta, distribui debeant per tres praecedentes annos. Eorum primus consumptus fuerit in belli apparatu, quum Amphictyones ad decernendum, quam ad agendum promptiores essent, Philomelo Spartam profecto; in alterum, opinor, convenit templi occupatio et Locridis devastatio; tertio denique, denuo cum Locris pugnatum est et legationes per Graeciam missae sunt. Tum demum exercitus Amphictyonum instructus erat, cui Philomelus opposuit milites e divitiis templi direptis conductos. Exploso igitur altero Diodori testimonio, relicuum est, ut bellum Ol. 105, anno vel tertio vel quarto coeptum sit. Minus excusari potest Pausaniae error, qui X. 3. 1. computationis suae oblitus belli exitum ad Ol. 108, 1. Theophilo archonte

refert. Meliorem auctorem hac in re secutus est Diodorus XVI. 59, quum Ol. 108, 3. archonte Archia bellum finitum esse scribat. Confirmatur hoc a Demosthene, qui (1) dicit Phalaecum die XXIII mensis Scirophorionis Ol. 108, 2 copiis suis liberum discessum a Philippo pactum fuisse. Ea res interitum Phocensium adduxit et brevi post omnes urbes Philippi milites receperunt, Amphictyones convocati sunt, eorumque decretum exsecutum est. Bellum igitur finem invenit primis Ol. 108, 3 mensibus, antequam celebrari coeperunt Pythia, a quibus tum abstinuerunt Athenienses, gravem sociorum sortem dolentes, et recentis eorum cladis memores (2). — Hoc termino ita constituto, initium belli pertinet ad Ol. 105. 4, illudque per decem annos integros et aliquot menses duravit. Res autem gestae chronologico ordine, certo illo et definito, disponi non possunt, quoniam uno Diodoro in iis enarrandis duce utimur, quem constat modo res una expeditione gestas per plures annos distribuisse, modo res plurium annorum contraxisse, sicut infra demonstrabimus.

---

(1) De F. L. p. 359.
(2) Dem. de F. L. p. 380.

§ 4.

Ab hoc excursu in viam redeo. Rumor templi occupati excitavit Locros finitimos, qui tumultuaria manu Delphis succurrerent. Sed caeduntur et fugantur, auctaque est hoc successu Philomeli fiducia. Delphos redux Amphictyonum decreta columnis exscidit, et nomina damnatorum e tabulis delevit, publice professus se non inhiare opibus in templo coacervatis, sed hoc unum spectare, ut deletis istis decretis patriae suae vindicaret praerogativam, qua majores ornati fuissent, et quam posteri aegre sibi ereptam viderent. Quum vero civitates Boeoticae, ut erat in sacramento *καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ πάσῃ δυνάμει* (1) Deo suppetias decernerent, Philomelus templum munivit et stipendio aucto copias suas ad quinque millia militum auxit, quibus Delphos facile tueri posset. Interea expeditionem in Locros suscepit, regionem passim devastavit, et praeda oneratus Delphos rediit, de belli fortuna oraculum consulturus. Pythiam invitam tripodem adscendere, suaeque rogationi obsequi jussit, quae respondit *licere ipsi quicquid vellet.* Ambigua haec vox aluit consulentis ferociam, cui faustum augurium in

(1) Aesch. in Ctes. 69. 11.

templo sibi oblatum laetam victoriae spem portendere visum est. Intelligens autem, quantopere sua interesset imminentis procellae vehementiam frangere, legatos misit ad principes civitates Graecas, qui nuntiarent, Delphos non eo consilio ab illo esse occupatos, ut sacras opes raperet, sed ut fani praesidium suae genti redderet: Philomelum igitur esse paratum ad rationes pecuniae inventae publice promulgendas, pondusque et numerum donariorum recensendum. Praeterea alias civitates rogavit, ut belli societatem secum inirent, alias ut armis saltem abstinerent. Legati Spartae et Athenis benigne excepti sunt. Spartani auxilia promiserunt: Athenis in populi concione auctore Hegesippo (1) decretum latum est, quo φιλία, συμμαχία, βοήθεια cum Phocensibus inita est (2). Perlatum est decretum, ut supra vidimus, odio Thebanorum, quorum nomen Atticae incolis ita invisum erat, ut paene exploderetur orator, qui in concione in eos nihil acerbe diceret (3). Nec in solis verbis substiterunt Athenienses, quibus ea tempestate perpetuam in promittendo facilitatem, in promissis praestandis tarditatem exprobrare amat Demosthenes. Primis quidem

(1) Aesch. in Ctes. 70. 16.
(2) Dem. de F. L. p. 360.
(3) Dem. de Pace p. 60 extr. de Symmor. p. 187.

belli annis, quamdiu res Phocensium satis valebant, nulla eorum recensentur auxilia: sed ut primum Philippus Thebanis Thessalisque opem tulit, et metus erat, ne Phocenses soli impetum sustinere non possent, Nausiclem cum mille peditibus et quadringentis equitibus in eorum subsidium miserunt (1). Sub finem quoque belli in Phocide et Boeotia exercitus Atheniensium Proxeno duce fuisse traditur, magis tamen ad saltus Thermopylarum tuendos adversus Philippum, quam ad auxilium sociis ferendum. — Praeter hos, teste Diodoro c. 29 et alii quidam ex Peloponnesiis Phocensium partes amplexi sunt; quod testimonium Wesselingio non suspectum fuisset, si meminisset eorum, quae mox traduntur. Nam c. 30 Achaei mille et quingentos, c. 37 iidem bis mille armatos misisse feruntur, quibus adderem Corinthiorum auxilia, nisi verba Diodori, unde de illa re constare posset, a multis explosa infra exploranda essent.

§ 5.

Soli adhuc Locri Phocensibus restiterant, quibus nova expeditio non melius successit, quam supe-

(1) Diod. XVI. 37.

riore anno. Proelio prope Phaedriades rupes haud longe a Delphis victi, sero intellexerunt se solos bello gerendo non sufficere, et Amphictyonum auxilia invocarunt. Horum precibus excitati socii exercitum parant et Boeotis, qui principatum obtinebant, praeter Locros et Dores, qui ad Pindum sedes suas habebant, diversae gentes Thessalicae copias adjungunt. Philomelus et antea exercitu conducticio usus erat, et nunc novas copias parare debebat, quas hostibus opponeret. Atque ea res in tanta morum corruptela et licentia, quanta in Graecia grassabatur, et in magna aerarii inopia, qua multae civitates laborabant, facilis erat, quamdiu opes abundarent. Sed exhaustis jam propriis opibus, profusisque nummis, quos Delphi coacti contulerant, manus injecit thesauro Delphico (1). Conficio tamen ex Diod. XVI. 56, ubi omni culpa liberatur, illum modeste in eo se gessisse, neque fratrum aviditatem Philomelo tribuendam esse. Neque deerant exempla aliorum, qui sine invidia sacras opes necessitate urgente ad belli usum converterant, addita tamen de reddendo sponsione (2). Aucto denuo stipendio, multi undique ad ejus signa

(1) Diod. XVI. 30. Plut. de orac. Pyth. p. 397 F.

(2) Vid. Boeckh. Oecon. Polit. Athen. II. 141.

confluxerunt, ita ut cum decem millibus armatorum Locridem petiisse dicatur. Locros, Boeotorum copiis confirmatos, mox Thessalos adventantes fudit. Sed retardavit hunc impetum novus Boeotorum exercitus, quo Phocenses numero jam inferiores in castris se continere coacti sunt. Mox proelium prope Neonem commissum est, in quo victi sunt et fugati. Multos suorum in acie, plures in fuga amiserunt, in quibus Philomelus ipse erat, quem densis vulneribus confectum maluisse narrant de rupe se dejicere, quam hostium irae se committere. Quae si vera sunt, princeps sacrilegii auctor solemnem sacrilegorum poenam suo sibi facto conscivit (1). Diffiteri tamen nolo, omnia quae feruntur de interitu et hujus (2) et relicuorum ducum dubiae admodum fidei videri, quum omnes vel rupe dejecti, vel undis mersi, vel igne consumpti dicantur, sicuti pluribus exponunt Diodorus XVI. 61. et Philo Judaeus apud Euseb. Praep. Evang. VIII. 14. qui a Diodoro aliquoties dissentit, e. g. quando Phayllum, quem Diod. XVI. 38. Paus. X. 2. 4. tabe confectum fuisse narrant, incendio periisse

(1) Paus. X. 2. 2. Aelian. V. H. XI. 5. cf. Sancto-Crucius, p. 56 s.

(2) Justin. VIII. 1. scribit Philomelum in proelio primum inter confertissimos dimicantem cecidisse.

affirmat. Scilicet placuerunt sibi homines in excogitandis suppliciis, quae essent vindictae divinae indicia.

§ 6.

Philomelo in imperio successit Onomarchus frater, a quo reliquiae exercitus devicti collectae sunt. Victores, qui parva contentione commoda sua persequi potuissent, victoria uti nesciebant; domum quisque suam abierunt, hac spe ducti, ut Phocenses clade accepta territi arma deponerent et Amphictyonum decretis parerent. Sed res longe aliter evenit. Erant quidem inter Phocenses, quos belli taedebat, sed vicit adversaria sententia, quam acerrime in concione propugnavit Onomarchus. Incendebat illum cum insita animo ferocia et audacia, tum occupandae tyrannidis et per copias conductitias retinendae spes. Neque enim imperium per totum bellum in una Theotimi domo mansit libero Phocensium arbitrio, sed non inepte dixeris Philomelum jam tyrannidem affectasse (1). Duces quoque insequentes Onomarchus (2), Phayllus (3),

(1) Polyaen. V. 45.
(2) Photius c. 469.
(3) Harpocr. in voce.

Phalaecus (1), tyranni appellantur et frequens mentio fit *τῶν ἐν Φωκεῦσι τυράννων*, deditque Onomarchus magnum potentiae suae exemplum, adversariis e medio tollendis, eorumque bonis publicandis (2).

Hoc auctore fortunam denuo armis experiri Phocensibus placuit. Ingentes templi divitiae cum rebus ad bellum comparandis impensae sunt, tum vero eam in rem adhibitae, ut sociorum favor inceptis conciliaretur, et hostes a belli societate abducerentur. Thessali, internis seditionibus vexati, muneribus non restiterunt et largitione corrupti communem causam turpiter deseruerunt. Ab illa parte tutus, Onomarchus Ol. 106. 4. bellum instauravit; Thronium, oppidum Epicnemidiorum expugnat, Amphissam Ozolarum metu ad deditionem cogit, Doridem totam occupat, tum in Boeotiam conversus Orchomenum cepit, sed Thebanorum adventu Chaeroneae obsidionem tollere debuit.

§ 7.

Dum haec ibi geruntur, Thessalia principum stu-

(1) Aesch. de F. L. p. 45. 20. 46. 8.
(2) Diod. XVI. 33.

dus agitabatur et internis malis laborabat. Lycophron, Pherarum tyrannus nihil moderatius tyrannide utebatur, quam Alexander, cui successerat, nec in suos solum saeviebat, sed magnam Thessaliae partem sibi subjectam tenebat. Hujus dominationem imprimis moleste tulerunt Alcuadae, gens apud Larissaeos nobilitate excellens, qui patriae in libertatem vindicandae, et una auctoritatis suae confirmandae consilia agitarunt. Qui quum intelligerent, egregium facinus suo Marte se perficere non posse, Philippum Macedonem, adhuc alio occupatum, invocarunt. Factum hoc Ol. 106. 4. Narrat quidem Diodorus XVI. 14. talia, ut suspiceris jam Ol. 105. 4. Thessaliae tyrannos a Philippo debellatos fuisse, sed brevi vires amissas recepisse, ita ut quadriennio post novam in eos expeditionem susceperit Philippus, quae c. 35. suo anno enarratur: verum rem aliter se habere, vel ex Demosthene cognoscitur, qui in Olynth. I. p. 12 sq. res a Philippo primis regni annis gestas ordine recenset. Diodorus unam rem duobus locis descripsit; c. 15. per prolepsin, huic auctori satis familiarem, rerum eventus proponitur, c. 35. res ipsae suo tempore disertius explicantur. Similis erroris culpam sustinet Justinus, qui res a Philippo gestas parum accurate recenset VII, 6. Hac tamen opportunitate monen-

dum temere ejus verba tentari. Scripsit ille: »*Post hos, bello in Illyrios translato, multa millia hostium caedit. Urbem nobilissimam Larissam capit. Hinc Thessaliam — improvisus expugnat,*" etc. Recte: nam expugnationi Amphipolis, Pydnae et Potidaeae praecessit bellum Illyrium, quod Ol. 106. 1. ortum est et confectum. Totum triennium tum praeteriit, antequam in Thessaliam copias suas traduxit Philippus, sed interea nihil memoria dignum gessit. Ab Aleuadibus Larissam vocatus, vere dici potest Larissam tunc occupasse, non vi et armis cepisse, indeque relicuam Thessaliam petiisse ac tandem expugnasse. Probari igitur non debet Glareani suspicio, qui pro *Larissam capit* restitui volebat *Lissum capit*, cui et illud obstat, quod Philippus numquam imperii sui fines ad mare Adriaticum protulisse videtur. Haec idcirco monenda videbantur, quia nuper etiam fuerunt, qui aut nimis creduli Diodori narrationem amplecterentur (1), aut nimis audaces Justini verba refingerent. Postremo notandus est error Scholiastae ad Dem. Olynth. II. p. 19 R., qui adversus omnem fidem historicam tradit Aleuadas tyrannidem exercuisse et a Philippo oppressos esse, iterumque ad Olynth. I.

(1) Vid. Vömel. Proleg. ad Demosth. Olynth. p. 86.

p. 118 R. per τὴν τυραννικὴν οἰκίαν istam familiam significari existimat. Utroque loco de Pherarum tyrannis sermo est: contra Eudicus et Simus, qui inter Philippi amicos patriaeque adeo proditores a Demosth. p. Cor. p. 241. numerantur, Aleuadarum principes fuerunt, sicuti constat ex Harpocr. v. Σιμός. Ea, quae Scholiasta narrat, longe postea acciderunt, quum Philippus nimiam Aleuadarum potentiam diminuere, eosque dolo tollere conatus est (1).

§ 8.

Philppus, ut relictam narrationis seriem repetamus, Philippus igitur non omisit egregiam occasionem immiscendi se rebus Thessalorum; nec minus promptus fuit Onomarchus ad auxilia Lycophroni praestanda. Phayllum fratrem cum septem millibus armatorum illuc misit: hic quum proelio victus esset, ipse cum omnibus copiis in Thessaliam profectus est, regionis principatum spe animoque praecipiens. Atque non defuit his inceptis laetus successus. Hostes duplici proelio superavit et ad tantas angustias redegit, ut Macedo vix in regnum suum

(1) Polyaen. IV. 2. 11.

se recipere potuerit; qua in fuga hic memorabilem, eventuque probatam vocem edidisse fertur: »Non »fugi, sed recessi, arietum more mox vehementio»rem impetum facturus" (1).

Compositis rebus Thessalis, Onomarchus victricem exercitum in Boeotiam reduxit, et Coroneam cepit. Sub idem etiam tempus res ad Hermaeum gesta videtur, quae narratur apud Schol. Aristot. Ethic. III. 8, cujus verba emendarunt Marxius in Ephori fragm. p. 256. et C. O. Mullerus, Orchomenos p. 421. 6. Interim Philippus novum exercitum comparaverat, cujus subitus in Thessaliam adventus Onomarchum impedivit, quominus Boeotos vehementius urgeret. Viginti mille pedites et quingentos equites Pheras duxit, vel sic tamen inferior conjunctis Philippi et Thessalorum copiis. Opera imprimis equitum Thessalorum acerrimi certaminis victoria penes Philippum fuit, atque Phocensium exercitus ad internecionem deletus fuisset, nisi forte fortuna Chares, Atheniensium praetor, Pagasas tunc temporis occupaturus (2), classe adfuisset, qui fugientes reciperet. Dimidia pars exercitus Phocensis, partim in ipso proelio occubuit, partim

(1) Polyaen. II. 38. 2.
(2) Vid. Vömel. Proleg. in Demosth. Phil. I. p. 88.

postea ultimo supplicio affecta est; ipse Onomarchus nec salvus evadere potuit, nec mortuus ignominia caruit; quamquam diversa de ea re narrant auctores, quorum traditiones collegit Wesselingius ad Diod. XVI. 35.

§ 9.

Ab hoc inde tempore Phocensium potentia praeceps ire coepit, quae quanta fuerit huc usque cognoscitur ex oratione, quam Lysisco, Acarnanum legato apud Lacedaemonios, tribuit Polybius IX. 27. Nemo non videt, nimium illum favere Philippo, quum hujus opera Graeciam servatam esse contendat, Philomelo et Onomarcho principatum affectantibus: sed vere eumdem dixisse arbitror Graeciae gentes seditionibus disjunctas, Phocensibus resistere non potuisse, nisi horum vires opportune fractae fuissent. Res afflictas brevi quidem restituerunt, et quo tempore Philippus Pylas transgressus bello finem imposuit, Thebanis longe superiores erant (1); sed tanta extremis belli annis pecuniae inopia laborabant (2), ut nisi externis

(1) Dem. de F. L. p. 387.
(2) Dem. Olynth. II. p. 30 extr.

subsidiis confirmati, regionem suam tueri non possent (1). Acceleraverunt eorum interitum imperatorum vel imperitia vel adversa fortuna, atque discordiae civiles.

Phayllus, tertius e fratribus, qui imperium Onomarchi morte vacuum susceperat, duplicato stipendio multos milites allexit, et ingentem vim armorum paravit. Auctus est praeterea exercitus auxiliis, quae Athenienses et Lacedaemonii miserunt; quibus omnibus accesserunt duo mille mercenarii, quibuscum Lycophron regno pulsus ad socios suos se contulit. Ol. 107. a. 1. hic exercitus in Boetiam profectus est, sed brevi ter victus est ad Orchomenum, ad Cephissum et ad Coroneam. In Locridem igitur se recepit, sed ibi non meliorem fortunam expertus est.

Philippus, qui et vincere et victoria uti sciebat, Thessalia tyrannis liberata, Phocenses statim armis petere constituerat, et summa celeritate Thermopylas occupare studebat. Sed Atheniensium classis regis consilia irrita fecit, transitumque ipsi intercepit; quod facinus Athenis tanto studio cognitum est, ut Diophanto auctore memoria rei gestae solemni sacrificio et publico praeconio celebrata sit (2).

(1) Dem. Olynth. III. p. 16.
(2) Id. de F. L. p. 368.

Plurimum enim intererat et Atheniensium et universorum Graecorum: qui suis legibus quam alieno arbitrio vivere mallent, ne illas angustias occuparet Philippus, per quas iter ipsi in Atticam et Peloponnesum pateret (1), et vere Demosthenes judicabat, nimio constare patriae suae pacem, quae empta esset traditis Pylis (2). Hinc facile credimus, regem minas fecisse auctoribus hujus facinoris et odio habuisse civitatem, quae ejus consiliis resistere ausa fuerit (3), nec inepte suspicari nobis videmur, ad haec tempora referendum esse, quod narrat Dem. pro Cor. p. 271, regem non repudiasse Antiphontem, qui sponte se offerebat ad navalia Atheniensium comburenda (4). Noluit tamen Philippus vi et armis transitum sibi parare, sed consilio in aliud tempus rejecto, Thessalorumque animis sibi conciliatis, pietatis fama auctus in Macedoniam rediit.

Erat hic rerum status Ol. 107. a. 1. ineunte. Historiam trium quatuorve sequentium annorum paucis absolvit Diodorus, alii plane omittunt. Phalaecus, sive lenta tabe confectus (5), sive Abis

---

(1) Dem. Phil II p. 74.
(2) De F. L. p. 372 in.
(3) Id. Phil. I. p. 42.
(4) Cf. Plut. Dem. c. 14.
(5) Diod. XVI. 38 Paus. X. 2. 4.

flammis consumptus (1), imperium reliquit impuberi Onomarchi filio, Phalaeco, quem ipse adoptaverat (2), tutore addito Mnasea. Caeterum oppida quaedam vel capta vel amissa, agros devastatos, auxilia utrinque ad bellum Megalopolitanum missa, similiaque ut leviora omitto. Hoc unum constat, vires Thebanorum et Phocensium longa mora exhaustas fuisse, quorum illi trecenta talenta ad sumptus belli tolerandos a rege Persarum accepisse traduntur, hi vero exhauserant ingentes templi Delphici opes, quas partim militum avaritia et imperatorum fraudes, partim sociorum aviditas abstulerant.

(1) Philo Jud. l. l.
(2) Wess. ad Diod. XVI. 38.

CAPUT IV.

DE BELLI EXITU ET PHOCENSIUM POENA.

Olymp. 108. a. 2. extr. a. 3. in.

§ 1.

Sublata erat omnis spes belli sine externis auxiliis componendi, et utraque pars, maxime vero Boeoti, metuebat ne vires suae lenta tabe consumerentur, quum Ol. 108. a. 2. res plures interitum Phocensibus parabant. Valuit ea res plurimum ad confirmandam Philippi potentiam auctoritatemque, ejusque artibus provocata est et adducta: quam ob rem copiosas super eam disputationes continent orationes Demosthenis et Aeschinis adversariae. Hos auctores in relicua narrationis nostrae parte sedulo adhibebimus, quamvis non summa fide in singulis versati sint, et nihil periculosius sit, quam historiam ex oratorum verbis consarcinare. Insigni arte Aeschines causam interitus Phocensium a se remo-

vere studet, excitatque (1) eam ad rem varias causas, quae profecto non exigui momenti fuerunt. Nemo enim negare poterat, longam belli moram attulisse pecuniae inopiam, ex qua ortae sunt seditiones militum; nec ullum dubium est, quin Phalaeci discessus Philippo viam munierit ad Phocenses debellandos. Sed quum orator ipse primo loco calamitatum omnium culpam conferat in fortunam, callide omittit quaerere de iis, quae adversam istam fortunam adduxerint, nec indicat arctum vinculum, quod intercedebat inter Phocensium interitum et ea, quae paulo ante Athenis decreta sunt. Ut illa lacuna expleatur, necesse erit res paulo altius repetere.

§ 2.

Philippus, cujus animo insedebat immoderata imperii cupiditas, per plures annos id maxime egerat, ut frangeret vires Atheniensium, quos solos fere sibi adversari intelligebat (2). Primis regni annis intra Macedoniae fines se continuerat, non tamen otiosus, sed id agens, ut gentes barbarae Macedo-

(1) Aesch. de F. L. p. 45. 18-30.

(2) Dem. Phil. II. p. 70. ἄρχειν βούλεται, τούτου δ' ἀνταγωνιστὰς μόνους ὑπείληφεν ὑμᾶς.

niam in posterum non infestarent. Auxit ejus spiritum expeditio Thessalica, atque ab hoc inde tempore computari solent ejus consilia adversus Graecos (1), quae jam tum perfecisset, nisi Athenienses retinuissent ejus impetum. Dum novam occasionem exspectabat, Ol. 107. a. 4. urbes Chalcidicas aggressus est, quae Atheniensium auxilium invocarunt. Demosthenis tum imprimis opera foedus cum Olynthiis factum est, et hujus viri eloquentia ita vicit civium suorum desidiam ac torporem, ut tres classes militibus instructae ad socios missae sint (2). Nihilominus Olynthus, validissimum libertatis Graecae adversus Philippum propugnaculum, Ol. 108. a. 1. extr. eversa est, cujus rei fama Atticam tanto terrore implevit, ut, post irritos conatus excitandi civitates Peloponnesiacas ad commune bellum Philippo inferendum (3), nihil relicuum videretur, nisi victoris iram deprecari, omni salutis spe in armis abjecta. Metus enim erat, ne Philippus, Olyntho eversa, arma sua in Chersonnesum converteret, qui tractus solus in illis terris Macedonibus non parebat, et foedere cum Atheniensibus conjunctus erat.

(1) Dem. Phil. III. p. 117.
(2) Philochorus ap. Dion. Halic. Epist. ad Ammaeum p. 122. 37-48 Sylb.
(3) Dem. de F. L. p. 344. coll. p. 438. Diod. Sic. XVI. 54.

Omnes proinde, qui patriae suae commoda curabant, ad pacem admonebant populum, quem superbia quaedam et pristinae potentiae cogitatio impediebat, quominus illam peteret. Regis quoque intererat, Athenienses socios potius quam adversarios habere, qui jam tum cum Thessalis expeditionem in Phocidem parabat (1). Neque enim fugiebat ipsum, Thebanos paene coactos esse, qui aliena auxilia implorarent, et intelligebat his se non tuto auxilia mittere posse, nisi pacem cum Atheniensibus ageret. Callide igitur pacis desiderium significavit (2), suaque humanitate (3) Athenis decretum provocavit de legatis ad Philippum mittendis (4). Hi, in quibus Philocrates, Aeschines et Demosthenes principes erant, regem convenerunt, et benigne ab eo recepti mense Elaphebolione Ol. 108. 2. redierunt, hunc nuntium afferentes, legatos Philippi intra paucos dies adfuturos, quibuscum de pace ageretur (5). Recitarunt praeterea epistolam, qua rex declaravit sibi gratissimum fore, foedere etiam

---

(1) Aesch. de F. L. p. 45. 30.
(2) Dem. p. Cor. p. 231.
(3) Vid. Winiewski, op. laud. p. 72 sq.
(4) Aesch. de F. L. p. 30. 25. in Ctesiph. p. 62. 34. Argum. alt. ad Dem. orat. de F. L.
(5) Aesch. in Ctes. p. 63.

cum populo Atheniensi conjungi (1). Ejusdem mensis die XIX pax et foedus conditionibus non iniquis decernitur (2): una erat difficultas, quod Philippus Phocenses in foedus recipere nolebat (3), qua in re assentientem habebat Philocratem et alios, qui jam tum regiis donis blanditiisque corrupti erant. Quum vero populus Atheniensis negaret, aliter se pacem ratam habituram esse, nisi his receptis (4), iterum decem legati creati sunt, qui Phocensium causam agerent et a Philippo praesente jusjurandum exigerent. Dum hi moras nectunt, rex temporibus usus arma sua adversus Chersobleptem, Thraciae regem, Atheniensium socium movebat, magnamque ejus regni partem occupaverat, antequam legati mandata sua exsequerentur. Mense demum Thargelione Pellae regem conveniunt (5), quo loco plures aliarum gentium legationes una aderant (6).

§ 3.

Thebani (ut de his primum dicamus) longa belli sacri mora fracti intelligebant, perniciem sibi in-

(1) Dem. de F. L. p. 353 sq.
(2) Ibid. p. 359.
(3) Ibid. p. 444.
(4) Ibid. p. 391.
(5) Ibid p. 389 sq.
(6) Aesch. de F. L. p. 41. 36.

stare, nisi auxiliis aliunde accitis confirmarentur. Erant enim ea tempestate tres urbes Boeoticae, Orchomenus, Coronea et Corsiae in potestate Phocensium, qui nullam occasionem vastandae regionis hostilis negligebant (1), miserantque praeterea Spartani regem Archidamum cum M hastatis in ea loca (2). His omnibus Thebani ad tantas angustias redacti sunt, ut, in solo Philippo salutis spem habentes (3), legatos ad regem mitterent, qui hujus opem implorarent. Quantacumque autem fuerit Thebanorum stupiditas, ne ipsos quidem latuisse opinor, quam periculosum esset Philippo transitum per Thermopylas patefacere: sed vicit praesentis periculi cogitatio, ideoque maluerunt communem Graecorum causam deserere et alii suorum laborum fructus concedere, quam non consequi id, cujus causa arma sumserant (4). Atque facile quod vellent obtinuerunt. Non movit regem humanae vicissitudinis exemplum, quum eos, qui ante paucos annos relicuos Graecos imperata facere cogerant, dejectos et inopes adspiceret (5): non egebat causa

(1) Diod. Sic. XVI. 58.
(2) Ibid. 59. cf. Aesch. de F. L. p. 45. 39.
(3) Isocr. ad Phil. p. 93 B. C.
(4) Dem. de Pace, p. 62.
(5) Diod. Sic. XVI. 59. ibique adnot. Wesselingii

patronis disertis, et integritate sua commendatis (1): sed noluit rex repudiare pulcherrimam occasionem confirmandae potentiae suae. — Thebanis se adjunxerant Thessali, quorum per ultimos annos vel nullae vel exiguae partes in bello fuerant, sed qui aegre ferebant se dignitate Amphictyonica privatos et ludis Pythiis exclusos esse (2). Ipsi, quum civilibus bellis vexati jus suum vindicare non possent, Philippi opem imploraverunt, quamvis jam tunc intelligerent, quo tenderent illius artes (3), studiaque in regem jam Ol. 107. 4. aliquantum defervescere coepissent. Hoc certe conficio ex Demosthenis oratione, quam illo anno habuit, in qua orator legatos in Thessaliam mittendos censet, qui incolas certiores faciant, quam prompti sint Athenienses ad resistendum Philippo, eosque instigent ad belli societatem, quoniam Thessalis indigna res videbatur, quod rex praeter promissa Pagasas et Magnesiam suis praesidiis occupatas teneret (4).

---

(1) Philonem et reliquos Thebanorum legatos laudat Dem. de F. L. p. 384.

(2) Dem. de Pace, p. 63.

(3) Polyaen. IV. 2. 19.

(4) Dem. Olynth. I. p. 21. Olynth. III. p. 15.

§ 4.

Diverso consilio Lacedaemoniorum legatos in Macedoniam venisse ex Aeschine discimus (1); nec quaenam horum fuerint rogata latet. Ex parte enim quam in bello Phocensi gesserunt, facile intelligitur illos postulasse, ut Philippus Thebanorum preces non audiret, auxilia sua, quae in Boeotia erant, si res aliter caderet, revocaturos. Atheniensium denique legati sociorum causam apud regem agere debebant; sed non eadem omnibus mens erat (2). Aeschines profitetur se, ut vidit exercitum paratum, id egisse, ut res Phocenses non vi et armis, sed sententia et suffragiis componerentur (3): dixitque causam expeditionis justam esse et honestam, sed judicium de sacrilegis permittendum esse Amphictyonibus in templum Delphicum convocandis, qui auctoribus impietatis condemnatis, poenas non extenderent ad civitates ipsas, nisi

(1) De F. L. p. 46. 11. Add. Just. VIII. 4, qui scribit: » *Phocensium legati, adhibitis Lacedaemoniis et Atheniensibus, bellum deprecabantur, cujus ab eo (Philippo) dilationem ter jam emerant.*" Non confirmatur hoc testimonium aliorum auctoritate, sed nolim tamen illud repudiari, quum magna veri specie commendetur.

(2) Aesch. de F. L. p. 42, 22.

(3) Ibid. p. 43.

hac reos tradere recusarent: et, si qua fides ei habenda est, auctor Philippo exstitit, ne suo ipse damno Thebanorum potentiam augeret (1). Quum autem Proxenus, Atheniensium praetor, cum classe L triremium apud Oreum, Euboeae oppidum, paratus esset ad auxilium quoquoversus ferendum (2), et rex metueret, ne illa classis aliaeque Atheniensium copiae suis consiliis resisterent, clam promisit, se Thespias et Plataeas esse restituturum, in Phocenses nil saevi consulturum, Thebas eversurum, Euboeam et Oropum Atheniensibus redditurum (3). Vanis his promissis Aeschinem et relicuos legatos decepit, in quibus non tanta fuit rerum inscitia, ut temere pacem Phocensium interitu emendam judicarent. Totus igitur in paranda expeditione adversus Phocenses legatos secum Pheras duxit, ibique etiam retinuit, specie quidem ut secum Halensium et Pharsaliorum lites componerent (4), sed revera, quia nolebat eos domum redire, priusquam omnia ad expeditionem parata essent. Tandem jusjurandum praestitit, inque pacis formulam omnes Atheniensium socios, praeter Pho-

(1) Aesch. de F. L. p. 43. 27-34.
(2) Dem. de F. L. p. 389 et 444. Aesch. de F. L. 45. 34.
(3) Dem. de Pace p. 59. Phil. II. p. 73. de F. L. p. 347 sq.
(4) Dem. de F. L. p. 352.

censes, recepit (1). Legati ad diem XIII mensis Scirophorionis Athenas reversi (2), continuo in senatu muneris sui rationes reddiderunt. Ibi Aeschines ea protulit, quae modo indicavi, quaeque triduo post in concione populi repetiit, de Philippo aliud simulante, aliud cogitante; sed fraudis a Demosthene insimulatus verbis suis fidem conciliare non potuit, et senatus decrevit, videri e republica Phocenses non deserere et Pylas adversus Philippum tueri (3). Necdum praeterierat tempus auxilii mittendi. Accesserat eodem die ad Thermopylas exercitus Philippi, sed eas tenebant Phocenses cum sociis. Phalaecus, quem ob suspicionem pecuniarum surreptarum cives sui destituerant (4), sed mox in priorem dignitatem restituerant, praesidia ad saltum illum collocaverat, ipse cum relicuo exercitu prope Neonem in Locride stabat (5). Hunc quidem ad pugnam provocavit Philippus, sed armis transitum parare quum non auderet, Phocenses certiores fecit, se non adesse, ut eos opprimeret: immo se velle illos salvos, repressâ Thebanorum audacia. Phalaecus quum

(1) Ibid. p. 395.
(2) Ibid. p. 359.
(3) Ibid. p. 346.
(4) Diod. Sic. XVI. 56. Paus. X. 2. 5.
(5) Diod. Sic. XVI. 59.

his verbis nullam fidem haberet, de se suisque sollicitus Athenas misit, qui socios rogarent, quid in re dubia agendum esset. Videtur autem ille jam tum a sociis relictus fuisse, quos partim ipse rejecerat suspectam habens illorum fidem (1), partim revocavit metus, ne societas Phocensium sibi quoque exitio esset (2). Rebus ita comparatis prudenter ille quaesivit, quaenam esset populi Attici mens et voluntas, antequam ipse certum consilium caperet. Ejus cursores (non vero Phocensium legati, sicut tradit Demosthenes (3)) concioni diei XVI Scirophorionis interfuerunt, et audiverunt Aeschinem ita Philippi consilia exponentem, ut ea civitati Atheniensium utilissima, Phocensibus non adversa viderentur. Qua ille oratione populum otii cupidum, et quem rumor de regis adventu ad Pylas terrore impleverat, eo facilius decepit, quod SCtum contraria mente conceptum non recitatum fuerat, et Demosthenes adversariorum clamoribus et minis impediebatur, quominus Aeschinis fraudibus occurreret, et veram rerum conditionem civibus indicaret (4). Populus igitur pacem ad posteros etiam

(1) Aesch. de F. L. p. 45. 36. ad finem.
(2) Dem. ibid. p. 356.
(3) Dem. de F. L. p. 359. Aesch. ibid. p. 45. 20.
(4) Dem. de F. L. p. 347-355.

producendam ratam habuit, comprobavitque Philocratis decretum, quo opem suam pollicebatur adversus eos, qui impedirent, quominus Phocenses regem reciperent et templum Amphictyonibus traderent (1). Quo nuntio accepto, Phalaecus, sive non amplius fidem Philippi suspectam habens, sive intelligens se a sociis desertum hostibus imparem esse, et propriam salutem patriae commodis anteponens, cum rege pactum iniit, cui Pylas tradidit, sibi suisque liberum discessum stipulatus (2). Pactum initum est die XXIII Scirophorionis, et paucos dies post omnis regio Phocica in victoris potestatem redacta est, quem legati in itinere comitabantur, quasi in sociam regionem milites duceret (3). Sic bello sacro *ἄνευ μάχης ἀνελπίστως* finis impositus est, teste Diodoro XVI. 59., etiamsi haec verba ita accipi nolim, quasi singulae civitates sponte portas regi aperuissent. Aeschines certe urbes tunc vi captas tradit (4), et ipse Philippus in epistola, quam brevi post Athenas misit, scribit aliis se oppidis praesidia imposuisse, alia vi cepisse et solo aequasse, incolis

(1) Dem. ibid. p. 356.
(2) Aesch. de F. L. p. 46. 37. Diod. Sic. XVI. 59.
(3) Dem. Phil. III. p. 113.
(4) Aesch. in Ctes. p. 65. 8.

in servitutem abductis (1). Demosthenes quidem affirmat (2), nullam urbem obsidione aut violenta aggressione, omnes ἐκ τοῦ σπείσασθαι perniciem sibi paravisse: sed non una ratione inducor, qui huic fidem denegem. Comparata est enim universa Demosthenis narratio ad invidiam in adversarium excitandam, cujus culpa odiosior videri debebat, quando constaret Phocenses non invitos Philippo se tradidisse, deceptos scilicet rumoribus per Aeschinem sparsis. Huc refero, quod in eadem oratione (3) Aeschinis fraude factum dicit, ut Philippus ultra decem mille pedites et mille equites captos abduxerit: de qua re quum non aliunde constet, eam ad hanc Phocidis occupationem refero, etiamsi numerus captivorum ab oratore positus veritatem longe superare arbitror. Cernitur denique oratoris consilium in eo, quod Phalaeci speculatoribus Phocensium legatos substituit; nec minus arguitur ex eo, quod omissa Phalaeci mentione, Phocenses ipsos cum Philippo pactos fuisse dicit (4), et consulto ubique rem ita proponit, ac si Phocensium excidium continuo post deditionem secutum sit. Sic

(1) Dem. p. Cor. p. 238.
(2) Dem. de F. L. p. 360.
(3) Ibid. p. 413.
(4) Ibid. p. 357. 358. 361 et alibi.

Dercyllus, qui tertiae ad Philippum legationis comes, ut Chalcide rerum ad Thermopylas gestarum famam acceperat, Athenas rediit, civibus die XXVII Scirophorionis in Piraeeo congregratis nuntiare non potuit sive *ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος* (1), sive *ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασι* (2), sed tantummodo Phalaeci pactum cum Philippo; quamvis negari non potest, hoc ipso pacto Phocidem regis arbitrio permissam fuisse. Excitavit autem iste nuntius ingentem populi dolorem, tantaque fuit omnium trepidatio, ut ex Callisthenis decreto omnia ex agris in urbem transvecta sint, et omnes arma capere voluerint. Sed sedavere hunc impetum Aeschinis sermones, qui etiamnum priora promissa repetebat, et ipsius Philippi epistola, qua rogati sunt, ne pacem intempestivis consiliis turbarent. Atque postea, quum res praeter exspectationem evenisset, Aeschines culpam a se removere studuit, partim exagitando ea, quae Phocenses et Lacedaemonii male fecissent, partim accusando Atheniensium desidiam, qui a Philippo provocati, ut in Phocidem egrederentur, Demosthene auctore hoc facere neglexerant, novam fraudem suspicati (3),

(1) Ibid. p. 360.
(2) Ibid. p. 379.
(3) Aesch. de F. L. p. 46. 17.

partim denique contendendo tantam fuisse Thebanorum potentiam, ut Philippo non tutum visum sit illos ex sociis hostes facere.

§ 5.

Quo tempore igitur Phalaecus cum octo millibus militum in Peloponnesum abiit, Philippus Phocidem occupavit, sed ipse sacrilegis nullam poenam imposuit. Prudenter curavit, ut per Boeotos convocaretur concilium Amphictyonicum, cujus arbitrio vindictam permisit, ipse si opus esset decreta executurus. Initio igitur a. 3. Ol. 108. Delphis habitum est concilium, ad quod omnes Graeciae civitates, quibus hoc jus erat, legatos miserant (1), et cui Aeschines Atheniensium Pylagoras interfuit, qui aliquoties suae legationis ad Amphictyones mentionem facit (2). Quapropter cavendum, ne putemus hoc concilium illegitime fuisse convocatum, neve huc transferamus contumeliosam appellationem, qua Demosthenes notat τοὺς φάσκοντας Ἀμφικτύονας — εἶναι (3). Phocensibus ipsis permissum est suam

(1) Aesch. de F. L. p. 50 init.
(2) Ibid. p. 40 med. p. 46 med.
(3) De Pace, p. 60.

causam defendere, et Aeschines gloriatur se restitisse Oetaeis, qui Phocenses omnes adultos de rupe detrudendos esse censerent (1). Quamquam autem omnes gentes Amphictyonicae legatos suos miserant, et Philippus nondum in concilium receptus erat, hujus tamen auspiciis, Thebanis Thessalisque auctoribus factum est decretum, quo vel sua vel majorum aetate quicquam iniquius sancitum fuisse negat Demosthenes, qui illud recitari jussit in controversia legationis male obitae (2). Desideratur illud nunc, ut pleraque monumenta publica, quibus oratores verba sua confirmare solebant; sed Diodorus, etsi non integrum decretum, pleraque certe capita Bibliothecae suae inseruit, XVI. 60. Operae pretium videtur singula ejus capita inde repetere et passim illustrare.

§ 6.

Consilium igitur decrevit »ut Philippus ejusque posteri Amphictyonica dignitate gauderent cum duplici suffragio, quod adhuc fuerat penes Phocenses — et ut una cum Boeotis Thessalisque ludos

(1) De F. L. p. 47 init.
(2) Dem. de F. L. p. 361.

Pythios ederet." Tradit Xenophon (1), Jasonem Pheraeum, virum ingenio Philippi simillimum, etiam cogitasse de ludorum praesidio sibi vindicando, quum violenta morte ejus consilia impedita sunt. Cura Pythiorum post bellum Crissaeum a Delphis solis ad omnes Amphictyones relata est, qui aliquem delegabant, ad quem ludorum moderamen pertineret. Sed exempla desiderantur, quibus probetur hanc provinciam alicui genti peculiariter traditam fuisse, et verba, quibus explicat Diodorus, quare *ἀγωνοθεσία* Philippo permissa sit, *διὰ τὸ Κορινθίους μετεσχηκέναι τοῖς Φωκεῦσι τῆς εἰς τὸ θεῖον παρανομίας*, ob alias etiam causas suspecta sunt (2). Mirum enim accidit, quod Corinthiorum praecipuas tunc temporis partes in ludis curandis fuerint: tum hoc uno loco memorantur horum auxilia Phocensibus missa, qui neque a Diodoro inter socios sacrilegorum enumerantur, et, si tales fuissent, ab oratoribus non fuissent neglecti: denique idonea causa reddi non potest, quare unius gentis culpam omnes relicui Amphictyones luissent (3). De his

(1) Hist. Gr. VI. 4. 30.

(2) Vid. Tittmann, Amphictyonen-Bund. cap. V. § 3.

(3) Cf. Wessel. ad Diod. l. c. Add. Weiske, de hyperbole P. I. p. 30, qui *Κορινθίους* ortum putat ex *Δωρ. κ. ἀθην.*, ideoque in locum vocabuli suspecti *Δωριεῖς καὶ Ἀθηναίους* reponi jubet.

quid dicendum sit, certo definire non ausim: hoc constat, Philippum tulisse optata laborum praemia. Nam cum saltus occupandi desiderium regem excitavit ad arma in Phocenses movenda, tum ipsi arridebat gloria belli suis auspiciis confecti, tum denique ludorum celebratio (1). Non tamen omnibus placuit tantis honoribus regem ornari, in quibus Demosthenes omnia, quae hoc decreto sancita sunt, exagitat ut majora, quam quae barbaro tradi debuissent. Erumpit (2) acerrimus Philippi adversarius in has voces doloris plenas: »Nonne post eversas urbes Graecas edit Pythia, commune Graecorum certamen, et, si ipse adesse non potest, servos mittit, qui ludis praesideant? nonne Pylae et aditus Graeciae in ipsius potestate sunt, omniaque praesidiis et copiis tenet? nonne gaudet *προμαντείᾳ* (3), quae res ne Graecis quidem omnibus

(1) Dem. de Pace, p. 62.

(2) Phil. III. p. 119.

(3) Omnes interpretes indę ab Hier. Wolfio *προμαντείαν* explicant *jus ante alios consulendi oraculum et responsum petendi*, quasi esset *πρωτομαντείαν*. Sed nititur illa interpretatio nulla veterum grammaticorum auctoritate, suntque plura, quae ei adversantur. Primum obstat Aeschyli testimonium, Eumen. v. 32, ubi Pythia evocat Graecos ad consulendum oraculum *πάλῳ λαχόντας, ὡς νομίζεται*. Non magis intelligo, qui ejusmodi privilegium pluribus simul datum fuerit, quam difficultatem non expedivit Creuzerus ad Herod. I. 54.

data est, rejectis nobis et Thessalis et Doribus, ceterisque Amphictyonibus?"

Vel ex hoc loco constat, decretum non integrum exstare apud Diodorum, qui non refert Philippum accepisse τὴν προμαντείαν, quod jus Atheniensibus tunc ereptum est (1), et cui, uti inscriptiones docent, alia v. c. ἀτέλεια et προξενία fere adjecta erant, quae Demosthenes ut leviora omisisse videtur.

Denique non erat, cur magnopere expeteretur, postquam responsa singulis mensibus dari coeperunt. Plut. Quaest. Gr. § 8. Quae quum ita sint, suspicor praepositionis in hoc vocabulo eandem esse vim, quae obtinet in προξενία, πρόμαχος aliis. Erit igitur προμαντεία, *jus tuendi oraculum, patrocinium oraculi.* Postea haec res honoris causa et a Delphis et ab Amphictyonibus cum multis communicari coepit. vid. Tittmann. op. laud. p. 173 sq. Sancto-Crucius, op. laud. p. 277 sq. et inscriptt. in Corp. Boeckh. I. p. 819 sq. — Vulgarem interpretationem rejecit quoque Niebührius in Censura Idearum Heerenii, inserta Supplem. ephem. Liter. Jenens. a. 1813, cujus ipsa verba addam, quia illa censura in paucorum manibus est. Sic igitur ille p. 70: »Dass die προμαντεία der Vortritt bey der Befragung des Orakels gewesen sey, ist wohl die gewöhnliche Erklärung, aber nur auf buchstäbliche Auslegung des Worts gegründet, und wie so viele ähnliche wahrscheinlich falsch. Herodot und Thucydides nennen die Priesterin πρόμαντις, welches auf mehrere Deutungen führen kann, gewiss aber weg von dieser gewöhnlichen." Vehementer sane dolendum, virum acutissimum opinionem suam pluribus exsequi noluisse.

(1) Dem. de F. L. p. 446.

§ 7.

Philippi praemia excipiant poenae, quae Phocensibus impositae sunt, in quibus statim offendunt illa: *τῶν δ' ἐν Φωκεῦσι τριῶν πόλεων περιελεῖν τὰ τείχη*, quibuscum pugnant, quae sequuntur: *τὰς δὲ πόλεις ἁπάσας τῶν Φωκέων* (viginti duo sec. Demosth. de F. L. 379, Paus. X. 3.) *κατασκάψαι*. Diversa interpretum commenta peti possunt ex adnot. Wesselingii ad Diodori verba laud., quorum tamen nullum magna veri specie commendatur. Non magis satisfacit suspicio Wachsmuthii (1), qui de Elatea, Hyampoli et Panopeo verba intelligi posse putat, quorum moenia prius quam ceterarum urbium dejecta fuerint. Mihi in mentem venit, num forte tres urbes indicentur, quae in Phocensium potestate erant, Orchomenus, Coronea et Corsiae, sitae illae in Boeotia, sed a foedere Boeotico avulsae et Phocensium praesidiis per ultimos belli annos munitae (2). Quae suspicio eo confirmatur, quod Orchomenus et Coronea eodem tempore, quo Phocidis urbes, eversae dicuntur; earumque incolae in servitutem redacti (3). Hoc igitur caput decreto

(1) Hellen. Alterth. I. Abtheil. II. Beilage 9.
(2) Eadem opinio erat B. Weiskii, de hyperbole I. p. 30.
(3) Dem. de F. L. p. 375 et 445.

insertum fuisse crediderim rogatu Thebanorum (1), qui saevitiae suae in civitates cognatas excusationem inde petierint, quod illae non magis coactae Phocensibus paruissent, quam sponte horum partes secutae essent. Atque hinc explicandum, quod Orchomenii, imminentem scilicet calamitatem praevidentes, post Phalaeci discessum sibi quoque, ut Boeotiam linquere liceret, pacisci conati sunt (2).

Remota hac difficultate, relicuas poenas, ad quas condemnati sunt Phocenses, deinceps enumerabo. Exclusi sunt templo, et bina suffragia, quae in concilio Amphictyonum eorum adhuc fuerant, ut singulis gentibus concessa fuisse videntur (3), his erepta et Philippo tradita sunt. Porro in decreto erat, ut omnes urbes praeter Abas solo aequarentur, et ut incolae per vicos distribuerentur, quorum et ambitus et distantia a se invicem diserte praescripta sunt (4): ut ex reditibus agrorum quotannis LX talenta solverent, donec adpendissent mulctam olim ipsis impositam: ut arma comburerentur, equi Amphictyonibus traderentur, neve ta-

---

(1) Ib. de Pace p. 62.

(2) Aesch. de F. L. p. 46. 38.

(3) Aesch. de F. L. p. 43. 25.

(4) ....μηδὲ διεστάναι ἔλαττον σταδίου τὰς κωμάς: quod spatium quum Weiskio nimis breve videretur; l. l. conjecit legendum esse ϛʹ σταδίων.

libus uterentur, priusquam omni se culpa liberassent: denique ut auctores sacrilegii, omnesque qui huic crimini obnoxii erant, sacri essent, neve cuiquam fraudi esset horum aliquem occidisse.

Sociis quoque Phocensium non impune fuit auxilia his praestitisse. Lacedaemonii Amphictyonia ejecti sunt (1): Athenienses προμαντείᾳ spoliatos esse, supra vidimus, quibus tamen hoc ipsum minus grave erat, quam quod Thebanorum opes et potentiam insigniter auctas, atque Philippi auctoritatem firmiter confirmatam adspicerent.

Diodorus tradit plura huic decreto adjecta fuisse de cura oraculi et de jure inter Graecas civitates publico restituendo, ad quem locum non dubito referre ea, quae Thessalis Thebanisque vel restituta vel concessa sunt, quamquam fortasse Philippus plura iis largitus sit, quam speraverant. Illis praeter antiquam inter Amphictyones sedem, qua aliquot annos caruerant, Nicaeam et Magnesiam reddidit (2): hos vero totius fere Boeotiae dominos constituit, magnaque Phocidis parte donavit (3): utrumque denique populum, quo facilius imperio suo adjun-

(1) Paus. X. 8. 2.
(2) Dem. Phil. II. p. 71.
(3) Id. de F. L. p. 380 et 385.

geret (1), tantis beneficiis sibi devinxit, ut regem *φίλον*, *εὐεργέτην*, *σωτῆρα* appellarent (2).

§ 8.

Philippi exercitus, qui adhuc in Phocide stabat, decretum continuo exsecutus est (3); quae res apud multos incredibile quantum gloriae regi dedit: »*Illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret, exstitisse.*" Nec quicquam a decreti atrocitate remissum fuisse videtur, si modo fides habenda sit Demostheni, qui miserum spectaculum, quod suis ipse oculis viderat, domus eversas, moenia dejecta, terram viris desertam, squalida mulierum et infantium corpora, et senes miseriis confectos depingit, indignatus talia perpetrari ex arbitrio Philippi, nondum sublata Athenarum civitate, cui proprium erat et patrium Graeciae principatum tenere atque curare, ne talia impune fierent (4).

---

(1) Id. de Cherson. p. 105.
(2) Id. p. Cor. p. 240.
(3) In hac expeditione fortasse milites coronas laureas sumere jussit, nisi hoc ad ipsam Phocidis occupationem referre praestat. Justinus certe VIII. 2. perperam hoc in expeditionem adversus Onomarchum transfert.
(4) Dem. de F. L. p. 361.

Sed pristinam dignitatem dudum amiserant Athenae, et prudenter cives non conati sunt Phocensibus opem ferre, qui quamdiu Philippi copiae in Phocide erant, metu tanto angebantur, ut decretum de urbe tutanda, quod mense Scirophorione Ol. 108. 2. factum erat, mense Maimacterione sequentis anni renovarent (1). Erant tamen, qui Philippo locum inter Amphictyones denegandum esse censerent (2), quum regis et Thessalorum legati Athenas venerunt, postulantes ut populus illud decreti caput comprobaret (3). Tunc vero non ii tantum, qui regium favorem experti erant, agris in regione devicta donati (4), rogationis implendae auctores fuerunt, sicuti nonnulli nimis cupide affirmant, opinionis suae praesidium ex Demosthene petentes (5); sed ne Demosthenes quidem dubitavit cives suos ad pacem adhortari, quum prudentia civilis juberet umbram potius Delphicam Philippo concedere, quam commune Amphictyonum bellum in se excitare (6). Rex

(1) Vid. Winiewski, p. 327 seqq., ubi ostendit hoc ipsum esse Callisthenis illud decretum, quod male insertum est orationi Dem. p. Cor. p. 238.

(2) Dem. de F. L. p. 398.

(3) Ibid. p. 375.

(4) Ibid. p. 386.

(5) Vid. v. c. Libanius in arg. orat. de Pace coll. Dem. de F. L. p. 375.

(6) Cf. oratio Dem. de Pace.

enim in illo concilio unus omnia erat (1), et non immerito ab hoc inde tempore relicui socii nomine magis, quam re gaudentes *τοὺς φάσκοντας Ἀμφικτύονας νῦν εἶναι* orator appellat. Philippi igitur votis non restiterunt Athenienses; sed iidem egregium humanitatis documentum dederunt, recipiendis exsulibus Boeotis et Phocensibus (2). Noluerunt etiam theoros ad Pythia, quae illo anno celebrata sunt, mittere (3), et conventu abstinuerunt, sive sociorum sortem dolentes, sive, quod vero similius est, insolentiam Thebanorum Thessalorumque vitantes, ac metuentes, ne res a Philippo gestas tacite comprobare viderentur.

Talem habuit exitum bellum Phocense, cujus historiam enarrare constitueram. Omitto ea, quibus delectatur Diodorus, narrationem scilicet de fatis Phalaeci ejusque militum, qui post multos errores misere perierunt: neque moratus ea, quae de templi spoliis et numinis vindicta traduntur, disputationi finem impono.

---

(1) P. Cor. p. 246.
(2) Dem. de F. L. p. 366. de Pace p. 62.
(3) Id. de F. L. p. 380.

THESES.

I.

Dicaearchi liber *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* est particula majoris operis *βίου Ἑλλάδος*, quo diversarum gentium Graecarum mores et instituta explicuit.

II.

Dicaearchi *τριπολιτικός* scriptus est in laudem Athenarum, Spartae et Thebarum et oppositus *τριπολιτικῷ* seu *τρικαρανῷ*, qui sub Theopompi nomine ferebatur.

III.

Archontes pseudeponymi, quorum nomina nonnullis decretis Atticis praeposita sunt, non diversi sunt a scribis secundum prytanias.

IV.

Decretum, quod legitur apud Demosth. p. Cor. p. 235 R. de quinque legatis de pace ad Philippum mittendis, perperam huic orationi insertum est ex aliqua decretorum collectione.

V.

In eadem oratione p. 289 s., vocabulo *ἐπιγαμίαν* in *ἐπιμαχίαν* mutato, legendum est: — *δέδοκται τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων .... συνθέσθαι πρὸς αὐτοὺς (Θηβαίους) συμμαχίαν καὶ ἐπιμαχίαν ποιήσασθαι, καὶ ὅρκους δοῦναι καὶ λαβεῖν.* —

VI.

Brevis enumeratio bellorum, quae Athenienses cum Lacedaemoniis gesserunt, apud Aeschinem de F. L. p. 301-303 R., ab alio inepte petita et inserta est ex Orat. de Pace, quae Andocidi tribuitur, p. 90-93 R.

VII.

Artium studia Athenis, magis publicis civitatis institutis, quam privatorum opibus florebant.

VIII.

Corn. Nepos in vita Timothei c. 2. minus accu-

rate narrat post victoriam ad Leucaden Ol. 101. 2. primum aras Paci publice eese factas.

IX.

Praeceptum, quod Plutarchus in Cim. 2. dedit, *ὥσπερ γὰρ τοὺς τὰ καλὰ κ. τ. λ.* et dignum est, quod cuivis historico ante oculos versetur, et veram normam praebet, ad quam vitae Plutarcheae dijudicandae sunt.

X.

Lenius pronuntiavit Rhunkenius ad Vell. Paterc. II. 4. 6. illum unum esse locum, ubi auctor nimio captandorum acuminum amore in frigus putidum et puerile inciderit.

XI.

T. Livius in praefatione Historiarum Graecos historicos tangere videtur.

XII.

In dicto Theophrasti: *Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, non appetitam probare*, quod apud Rutilium Lupum p. 22. Rhunk. exstat, negatio omnino retineri debet.

THESES.

XIII.

Verba, quae leguntur in Ep. Cicer. ad Att. I. 6. »*Pater nobis decessit a. d. IIII Kal. Decembres* (686 U. C.)" non accipienda sunt de obitu Tullii patris.

XIV.

Perperam ex Cicer. Ep. ad Att. XVI. 5. 2. conficitur, judicium patrui de prava Quinti filii indole commutatum fuisse.

XV.

Longior declamatio de imperatoris temperantia in orat. p. lege Manilia, c. 22 sq. § 64-67 extr. isti orationis loco minus convenit et profecta videtur ab aliquo declamatore, Ciceronis vestigiis insistente.

XVI.

Cupidius Columna ad Ennii fragmenta p. 188. *Sabinas* a poeta carmine peculiari celebratas fuisse negat.

EMENDANDUM.

Error in constituendo belli Illyrii tempore p. 55. plures errores adduxit. Lectores igitur pro Olymp. 106. 1. restituant Ol. 105. 2. et haec: »Totum triennium tum praeteriit, antequam in Thessaliam copias suas traduxit Philippus, sed interea nihil memoria dignum gessit" una litura deleant.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AAN

MIJNEN BROEDER,

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT

Doctor in de Letteren en Regten.

Daar zeilt een schip de haven in;
Zijn komst voorspelt een ruim gewin,
Want 't is tot aan den rand met kostbre vracht beladen.
Nu juicht des stuurmans huisgezin,
En poogt hem om het zeerst met *welkoms* te overladen,
Ten teeken hunner min.

Neen! minder is de vreugde niet,
Die de overschoone dag mij biedt,
Waarop men U het hoofd met dubble kroon zal sieren.
En is er iemand, zóó ontaard,
Dat hij mijn poging laakt, eens broeders lof te vieren,
Wien 'k eenig slechts bezit op aard?

Een éénig broeder! . . . ô, wat zin
Sluit niet dit tweetal woorden in!
Het leert, wat hechte trouw ons zamen moet verbinden;
Het zegt, dat wij in 's levens druk
Elkander wederzijds als helpers moeten vinden,
Als deelgenooten in geluk.

Dat daartoe deze wensch U toegedragen zij:
Blijf, Broeder! blijf voortaan, wat g' immer waart voor mij;
Ga steeds, als in het perk van onze jonglingsjaren,
Mij met uw voorbeeld heerlijk voor,
Dan durf ik welgemoed tot in de toekomst staren;
Want, mogt uw zomertijd uw lente eens evenaren,
Dan drukt gij wis een glansrijk spoor.

Moest mij uw voorbeeld niet in al zijn luister toonen,
Al wat den mensch betaamt, wat hem vereedlen kan?
Ik zag tot tweemaal toe uw kunde en vlijt bekroonen,
En, waagde ik ook den kamp, ja mogt mij de uitslag loonen,
Gij waart er de oorzaak van.

Maar op één weg, helaas! mogt ik U niet verzellen,
Het was een ruwe weg, maar die tot glorie leidt!
Toen Pallas' t dierbaar kroost zag naar het strijdperk snellen,
Toen voeldet ge ook uw borst van eedle geestdrift zwellen
Voor de onafhanklijkheid.

Maar ik integendeel moest duurder pligt betrachten
Dan alle burgerdienst, die 't Vaderland gebiedt:
Wie ik sinds twintig jaar leerde als mijne ouders achten,
Die mij, uit liefde alleen, tot andre meening brachten,
Hen wederstreefde ik niet.....

Toen moest ik kort, nu langer van U scheiden.
Wie weet, hoe ver het lot U van mij rukt?
Doch, 't zij dat lot U vreugde moog bereiden,
Of onverhoopt de tegenspoed U drukt,
Ga voort, ga voort in broedermin;
Vaarwel, en oogst den zegen in,
Dien U mijn' beden schenken;
Wil veel aan de Academie-stad
En aan den goeden naam, U daar verworven, denken:
Die naam spreidt heldren glans op heel uw levenspad.

'S HAGE,
Junij 1836.

Mr. C. H. B. BOOT.